# IAC. SCHEGKII

SCHORNDORFFENSIS ME-
dici & Philoſophi Eximij,

De Plaſtica Seminis Facultate
Libri tres.

EIVSDEM

De calido & humido natiuis
Liber vnus.

De primo Sanguificationis Inſtrumento
Liber vnus.




EXCVDEBANTVR
ARGENTORATI. Apud Bernhardum Iobinum
Anno M. D. LXXX.

# IACOBVS SCHEGKIVS SCHORNDORFENSIS CANDIDO ET Philoſopho Lectori Salutem D.

*ETSI hoc noſtro ſæculo plurimi ſint, qui à ſubtiliore philoſophãdi ratione abhorreant, ſine qua tamen neque errores aliorum reprehendi, neque veritas defendi queat, eorum quæ ambiguè & perplexè diſputantur in diſciplinis, nihilominus ob prauitatem ingeniorum, & iudicij imbecillitatem, qua plerique laborãt, propter veræ & ſolidæ philoſophiæ ignorantiam, committendũ mihi non ſum arbitratus, vt non meo more & modo philoſophiæ ſtudia etiam nunc promouerem, quæ philoſophia (vt Ariſtoteles inquit) in politicis: nihil aliud eſt, quam accurata in exquirendo*

*vero methodus quædam. Sunt autem in omnibus diſciplinis plurima quæ controuerſiam habent & diſceptationem inter diſputantes ſatis perplexam, quæ non niſi analytica doctrina (penes quam eſt magiſterium philoſophiæ) declarari & explicari, appoſitis & veris rationibus, poſſint. Ex quorum numero ſunt, quæ diſputari ſolent & ſcribi de plaſtica facultate ſeminis, quam, vt Galenus diuinam celebrat, & tamen non Deumipſum eſſe ſtatuit creatorem omnium formarum. Ita Ariſtoteles multum de hac ſcriptum reliquit, quæ tamen propter breuitatem & obſcuritatem à paucis intelligantur. Horum igitur obſcurius ſcriptorũ ab Ariſtotele & Galeno interpretẽ agere volui his tribus libris, quibus vt ſenſum illorum manifeſtè expreſſerim, ita quoque omnia aut pleraque veritati conſentanea me ſcripſiſſe, opinor. Alia porrò contentio eſt inter phyſicos & Medicos de Calido & Humido natiuis,*

*uis, quam etiam controuerſiã dirimendam, & exquiſitè excutiendam hoc libello duximus, quod videlicet multifariam de his duabus qualitatibus diſputetur ab autoribus. Ad hos libellos adiecimus quoque libellum de quæſtione ſanguificæ facultatis quam plerique adſcribunt carni iocinoris, quæ receptiſsima fuit, atque etiam nunc eſt, medicorum ſententia. Sed nos freti analytica methodo demonſtramus, non carnem iocinoris, ſed venoſum genus primarium inſtrumentum eſſe, quo generetur è chylo ſanguis. Spero autem æquo lectori gratã fore hanc meam operam, duplici de cauſa. Primò quod veritati ipſi ſum patrocinatus, deinde, quod his tractationibus, quaſi exercitium quoddam analyticæ artis propoſui, quo præceptorum eius artis vtilitatem perſpicere valeamus. A qua tamen arte abhorrent nonnulli tantopere, vt quicquid accuratius & ſubtilius explicetur, id omne ſophiſticũ & falſum eſſe*

 opi-

*opinentur. Quæ opinio multorum animos hodie ſic imbuit, vt veritatem diſciplinarum nulla re conſtare arbitrentur, quàm fallaci quadam & ſophiſtica logodedalia, & hac perſuaſione, vt Euripides inquit:* ἀμαθέστατοι παρ᾽ ὄχλοις μουσικώτατοι εἶναι δοκοῦσι, *nempe vt Hippocrates alibi inquit:* ἔχοντες παρ᾽ ὄχλους ῥυέσας γλώσσας. *Quoniam ſophiſtæ ſunt, qui per omnem vitam nihil aliud agunt, quam vt procudant linguas & veritatis ac ſcientiæ ſtudio nullo teneantur. Quo maximè imitari videntur ſophiſtæ philoſophos, qui vt philoſophi vera, veris rationibus defendunt, ita ſophiſtæ veriſimilibus, falſa propoſita propugnant: nam ſecundum Ariſtotelem* οἱ σοφισταὶ τὸ αὐτὸ σχῆμα ὑποδύονται τῷ φιλοσόφῳ. *Itaq; cauto lectori, præſertim hoc tempore noſtro, danda eſt opera, ne fallacibus argumentis ſophiſtarum, qui hodie plurimi ſunt circumueniantur. Equidem in me ipſo ſum expertus quanta illorum hominum ſit*

*ſit impudentia & iniquitas, vt quando Petrus Ramus ſuas in Ariſtotelem animaduerſiones contra me contumelioſè propugnans, vaniſſimis argumentis ſtolidam ſuam audaciam ſcriptis libellis notam fecit phalerando ad imperitos lectores & ipſis illudendo inertiſſimis ſophiſmatibus, vt quæ nec manus nec pedes (vt vulgo dicitur) habeant. Idem nuper Genebrardus etiam ſcripto contra me libro contumelioſiſſimè ſuam myſterij de S. Trinitate ſummam ignorantiam & impietatem teſtatam fecit. Nam præ ſe ferens, tãquam ſi errorem Trinitariorum oppugnaret, vt nequiſſimus præuaricator, eorundem impietatem reuera aſtruit & propugnat. Scribit enim, quamuis pater in diuinis producat filium perſonaliter & eſſentialiter, quemadmodũ Adamus genuerit filium ſuum Abelum, nihilominus, inquit, credendũ nobis eſſe patrem & filium eſſe vnam ſingulariſſimam eſſentiam, quo nihil dictu abſurdius*

*eſt, ſiquidem in prædicato contineatur oppoſitum ſubiecti, quod Dialectici vocant oppoſitum ἐν τῷ προσκειμένῳ. Quis enim hanc orationem admittat? quæ eſſentialiter ſunt, vt gignens & genitum ſeparata ſeu diſcreta, eadem nihilominus eſſe vnam ſingulariſsimam ſubſtantiam. Quem ipſius errorē ac blaſphemiam contra me defenſam ſuperioribus annis ſcripto quodam meo confutari, & amico cuidam, vt curaret euulgari typis, commiſi. Factum autem eſt, vt ab iniquis quibuſdam, vel myſterij huius ignaris hominibus, vel odio nominis mei inflammatis, ſupprimeretur, mihiq́; è manibus eriperetur. Et quanquam iniquitatem illorum acerbius accuſare poſſem, nolo tamen id facere, ſed precor, vt meliorem mentem det DEVS. Hanc iniuriam etiam iam exponere volui, ne quis putet me à Genebrardo hæretico victum fuiſſe tanquam ſi ipſe ſuis blaſphemijs mihi os obſtruxerit, quaſi contra librum ipſius nihil*

*habuerim, quod ſcribi potuerit. Quin etiam in arte Medica nonnulli ſubinde exeunt libelli, quibus veterum ſententiæ impudenter & temere damnantur, vt quidam hodie eſt, qui negat vllas ex putredine generari febres, & alius quidam, qui humorem non in externis partibus corporis neruoſis putreſcere, ſed in viſceribus quibuſdam internis, quæ putredo ſit cauſa horroris ſeu rigoris in febribus. Multas alias abſurdas opiniones enumerare poßem, quas freti ſua logodedalia noui ſophiſtæ proferunt in lucem, ſed de his in præſentia ſatis. Spero autem æquum lectorem his libellis noſtris facilè cogniturum quomodo analytica arte contra ſophiſtas veritas ſit defendenda. Quos ſi placere intellexero ſtudioſis, curabimus, vt etiam edantur nonnulla noſtra, quibus refellantur monſtroſi quidam errores, quibus gloriam captare, ſed inanem & vanam, ſophiſtæ quidam conantur. Tu interim optime*

*me*

*mè lector noſtris laboribus fruere, & inco-
gnita prius non damnare velis, quàm dili-
genter expenderis. Vale. Anno Se-
ptuagintanono. Tubingæ de-
cimoſeptimo Ianuarij.*

# ELEGIA IN LAVDEM LIBRORVM,

Clariſſimi Philoſophi & Medici D:D. Iacobi Scheckij, Academiæ Tubingenſis Profeſſoris, De Seminis facultate plaſtica & Sanguificationis Inſtrumento ſcriptorum.

SCRIPTA A M. ANDREA Vuunſtio Vuimpinenſi.

*Quis neget eſſe Deum? diuina relucet imago:*
*Seu terram uideas: ſeu mare: ſiue polum.*
*Nil adeò ſpretum ſuperas conſurgit in auras,*
*Dicere ſi poßet: diceret, eſſe Deum.*
*Quis Lunæ phœbiq; uices, quis dirigit aſtra?*
*Vim rebus propriam qui dedit, ipſe Deus.*
*Quod fluit & refluit, ſeq; intra littora pontus*
*Continet, id ſacri numinis ordo facit.*
*Nec tamen aut cœlo, terráve, maríve creauit.*
*Nobilius ſuperum dextera, quàm ſit homo.*
*Hinc velut è ſpeculo diuina potentia fulget:*
*Illius eſt cauſa mundus: at ille Dei.*
*O felix igitur qui ſe bene nouit, & ortum*
*Non ſe fortuito retur habere ſui.*
*Prima Deus cauſa eſt, rerum communis origo:*
*Naturæ certum ſed dedit ille modum.*
*Ex homine illa hominem gignit: ſtimulante caleſcunt*

Natura

Natura in gelido fœmina virq; thoro.
Illa iacit ſemen, lactisq; coagulat inſtar:
Indigeſta ſuo membra calore fouet.
Inde rudem certos maſſam conformat in artus,
Inq; utero miris fingit, alitq; modis.
Hæc tenerum paſcit materno ſanguine fœtum,
Dum parte ex omni perficiatur homo.
Naturæ ſeries hæc eſt miranda: vel ipſe
Quam ſtupuit Salomon, cùm Salomone pater.
Si quiſquam tamen eſt, cauſas quem ſcire latentes
Dicimus: è multis SCHECKIVS vnus erit.
Hunc ars, ingenium, multusq; exercuit vſus,
Curáque per longos continuata dies.
Quem ſenium, ſtudiúmque vigiliam lumine priuat
Corporis, huic aciem mentis vtrunque dedit.
Hunc igitur quicunque tuæ primordia vitæ
Scire cupis, voluas mente manuq; librum.
Siq; tuum bene te ſentis poſuiſſe laborem:
Perpetuò SCHECKI, dic, bene viue ſenex.

# IACOBI SCHEGKII SCHO-RENDORFFENSIS DE PLASTI-ca Seminis facultate Liber primus.

ADmirandæ ſunt naturalium *rerum uires & facultates, ſed Animatorum formatrix & plaſtica facultas haud paulò admirabilior eſt reliquis, ut quæ ex rudi & indigeſta materia genitali, tam multas uariasq; partes, differentes temperaturis, quantitate, figura, numeris, harmonijs, aptisq; connexionibus, & naturali compoſitione cohærentibus, Animæ inhabitandum fabricata ſit corpus: ut non ſine prouidentia diuina, & mente ſapientiſſima, omnia facta eſſe uideantur in generatione Animatorum, & præſertim Animalium omnium. Cui autem dubium ſit quin ſi plaſtica uis non ſit Deus, ſit tamē nihilominus manus* Dei Omnipotent. *appellanda, qua nimirum perpetuitatem rerum caducarum generando proroget & conſeruet ſolertiſſimè.* Quòd ſi *uerū ſit illud* Anaxagoræ, *quem dixiſſe ferunt, iccirco hominem cenſendum ſapientiſſimū in* Animalib. *quia manus habeat, non quod manus, cauſa, ſed quòd ſignum ſit ſapientiæ, nō puto inficiaturum quenquam, quin contemplando* Naturæ *opera, & plaſticam in primis facultatem, tanquam manum* Dei, *omnipotentem* Deum *ſimus habituri pro ſapientiſſimo.* Omnium *naturæ operum,* Finis *eſt τὸ καλὸν, ut quo nihil melius eſſe poſſit, ſed ad ipſum, ut ad bonum, referantur motus & γενέσεις, ipſum autem ἀγαθὸν, quatenus etiam eſt καλὸν, ad nihil melius ipſo referatur.* Præſentiſſimus *eſt* Deus omnib. *καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς, quorum ipſe effector eſt, aut per ſe, aut in-*

Ariſto: lib: 4: de partib. Animal.

ſtrumento Naturæ, aut plaſticæ facultatis opificio. Sapientia Artificis, regit manus ipſius, ut non tantum in mente ſed in manibus etiam ſuo modo ineſſe uideatur ὁ λόγος, quoad ſolertia mentis reguntur. Nam ut Ariſtot: ſcribit lib. 1. de partib. Animal: τὸ γὰρ μὴ τυχόντως, ἀλλ᾽ ἕνεκά τινος ἐν τοῖς τῆς φύσεως ἔργοις ἐστὶ, καὶ μάλιστα· οὗ δ᾽ ἕνεκα συνέστηκεν ἢ γέγονε τέλους, τὴν τοῦ καλοῦ χώραν εἴληφεν. Efficientium proinde cauſarũ in natura duplex eſt genus, unũ eſt ἄλογον καὶ ὑλικὸν, ut ſi frigore aut calore alteratur quidpiam, alterum eſt, quod ut forma & logòs generat quidpiam: ut σπερματικὸς λόγος, aut aliâs ἐν ὕλῃ λόγος, ut ſi ſimile generat ſimile ſibi, aut ſi nutritum aßimilat ſibi nutrimentum. Ἔνυλοι aliâs λόγοι quam admirandas habeant uires, Hiſtorijs Phyſicis eſt proditum, ut ſui ipſius gratia nulla res naturalis generatã uideatur eſſe, ſed ut alijs prodeſſe poßit, ordine quodam connexis & cohærentib. omnibus. Nam λόγος ſeu τάξις, inprimis τῇ φύσει οἰκεῖα uidetur eſſe. Sed omißis reliquis, explicare nunc inſtituimus, quid ſit σπερματικὸς ſeu πλαστικὸς λόγος, qui Animatorum, nempe ſtirpium & animalium efficiens ſeu generans eſt cauſa, & materia eius quod generatur, nequaquam eſſe queat. Spermatis uocabulum æquiuocè uſurpari monet Galenus, Commento Vltimo libri primi in prognoſtica Hippocratis, cùm aliâs ſignificet humorẽ, quem Medici nominant θορώδη ὑγρότητα. Aliâs ſignificat δύναμιν & λόγον, qua ſignificatione plerunque Ariſtoteles utitur, quando negat Sperma materiam eſſe fœtus, ſed ipſius fœtus effectricem & plaſticam eſſe cauſam. Galenus pro humore & Materia utitur uocabulo illo, quando ex ſpermate, & ſanguine, fœtum generari ſcribit, ut mirum non ſit, ſi Galenus Ariſtoteli ſe inimicius, quàm uerius oppoſue-

poſuerit in libro de ſemine. Efficientium porrò aliud diſcrimen eſt, quoad nimirum quædam principales ſunt cauſæ, nonnullæ uerò ſunt Inſtrumentales. Inſtrumentalis eſt πλαστικὸς ſeu Σπερματικὸς λόγος, eius principalis cauſa eſt aut cœleſte corpus, à quo dependẽt generationes rerum naturalium, aut Maſculini ſexus animal, reſpectu fœminini genitalis huius facultatis, cauſa & principium efficiens fœtus, eſſe dicitur. Non quærendum ἔμψυχον & πλαστικὸν principium illud uel in Elementis, uel concreto quodam corpore ex elementis, quod ipſum ſi ſit inanimum, nobilius, ut Animatum ſcil. corpus, producere non poterit. Quod ſi uerò Animatum erit, inſtrumentum ſcilicet animati, nempè σπερματικὴ δύναμις eſſe non poterit, quum animatum omne, ſit organicum corpus. Ex quo concludendum Sperma nec animatum, nec inanimum eſſe corpus, ſed inſtrumentum generationis animati corporis, quo ad gignendum utatur animatum corpus, tanquam inſtrumento quodam. Nec eſt, ut dicat quiſpiam, his duobus oppoſitis, ut contradicentibus, omnia diuidi, ut omne ſcilicet ſit, aut animatum, aut inanimatum, quum uidelicet ſint, ut differentiæ, priuatiuè tantũ, & non contradictoriè oppoſita. Cùm enim Sperma corpus non ſit, ſed λόγος & δύναμις quædam, ſequitur, ut Sperma nec animatum, nec inanimum ſit corpus, ut nec anima ipſa eſt animatum, aut inanimatum quiddam, ſed quiddam non animatum quum ſit λόγος, & ἐντελέχεια quædam corporis organici. Definitur autem Inſtrumentum omne δυνάμει ποιητικῇ, quod ipſum non definitur ut τόδε τι, & abſolutum quid, ſed χρήσει, & efficientia eius, cuius eſt inſtrumentum. Vt enim pars corporis animati, inſtrumentum exiſtens animæ, ſeipſa, & ſeparatim eſſe id, quod eſt, nequit, ſed omnem ſu-

am eſſentiam, non modò relationem tranſcribit toti συνόλῳ, cuius eſt inſtrumentum, ut brachium, uel oculus, ita ſperma, cùm ſit δύναμις quædam, id prorſus eſſe dicitur, quod ratione uſus inſtrumentalis & energiæ fuerit, reſpectu eius cuius inſtrumentum eſſe dicitur. Non enim qua-

Ariſto: lib: I. politi.

tenus τόδε τι quiddam eſt, inſtrumentum exiſtit, ſed quatenus accidit ipſi πόιησις aut energeia pro inſtrumento habetur, aut quatenus χρῆσις & ποίησις poteſt ipſi accidere: hac ratione δυνάμει etiam dicitur eſſe inſtrumentum, ſed non actu eſſe. Veruntamen δύναμις nulla poteſt definiri ſine actu, quum prior φύσει ſit Energeia, præcedatq; τῷ λόγῳ potentiam, tametſi γενέσει ſit poſterior, ut docet Ariſto: in Metaphy: Ex his quæ diximus, liquet Sperma definiri ut efficientem alicuius cauſam, ut corporis animati & ut principalis efficientis inſtrumentalem cauſam, quæ non κτήσει, ut τόδε τι quoddam, ſed ποιήσει cuiusdam, ſit definienda animati effectus. Δυνάμει enim cauſis nihil efficitur, ſed energeia cauſis, ut Faber, niſi actio ædificādi ipſi inſit, non efficietur domus, ut nimirum ἐνέργεια hæc, ſit προσεχὲς αἴτιον effectus. Quo manifeſta eſt differentia inter ſperma, quod δυνάμει, & quod actu ſeu ἐνεργείᾳ dicitur eſſe. Et eam non materiam, ſed λόγον quendam ποιητικὸν eſſe oſtendimus. At τὸν λόγον, definitum, aut potius definitionem ipſam & principium in omnibus rebus eſſe, author eſt Ariſto: quando libro primo de partib. animalium inquit, τὸν λόγον, ἀρχὴν ἁπάντων εἶναι. Anaxagoras τὸν θεῖον λόγον, ut Architectum, ex indigeſta panſpermia, διακρίσει, (materiam formis diuidendo) omnes res naturales effeciſſe ſcribit. Et quis non uidet φυσικοὺς λόγους, omnium eorum, quæ reb naturalib. propriè inſunt, cauſam exiſtere? Quid autem Σπερματικὸς ſit λόγος in præſentia do-

*tia docere & explanare conabimur. Vocabulo autem τοῦ λόγου in præſentia non uolumus intelligi quiditatem & definitionem intellectus, ſed in reb. extra intellectum poſitis, formam ſubſtantialem, ut quæ nullo ſenſu, ſed dumtaxat mente & ratione percipiatur. Ita ſæpenumero menſuratis definimus & cognoſcimus menſuras, ut colorem extra exiſtentem quid ſit, noſcimus, quod nimirum ſit Qualitas, quæ ſolis percipiatur oculis, & ſonum, qualitatem, quæ ſolo auditu percipiatur. De cæteris idem ſentiendum. At plæriq; τὸν λόγον rerum, pro nihilo habent, quod uidelicet nihil putant eſſe niſi quod ſenſibus & tangendo percipiatur. Præiudicium illud, & contemptum ueritatis Plato in Sophiſta, appellat Gigantomachian, qua nimirum ſeſe opponant quidam ueritati (ex quorum numero fuit etiam Galenus) qui duntaxat ſenſu omnem fidem ſcientiæ & ueritatis metiuntur. οὐσίαν paulò ante diximus non ſenſu aliquo: ſed tantum τῷ λόγῳ percipi. De Gigantomachia ſic ſcribit Plato.* Σωκρα: καὶ μὴν ἔοικέ γε ἐν αὐτοῖς οἷον Γιγαντομαχία τις εἶναι, διὰ τὴν ἀμφισβήτησιν περὶ τῆς οὐσίας πρὸς ἀλλήλους. Θεαι. Πῶς; Σω. Οἱ μὲν εἰς γῆν ἐξ οὐρανοῦ καὶ τοῦ ἀοράτου πάντα ἕλκουσι ταῖς χερσὶν ἀτεχνῶς πέτρας καὶ δρῦς περιλαμβάνοντες. τῶν γὰρ τοιούτων ἐφαπτόμενοι πάντων διϊσχυρίζονται τοῦτο εἶναι μόνον, ὃ παρέχει προσβολὴν καὶ ἐπαφήν τινα, ταυτὸν σῶμα, καὶ οὐσίαν ὁριζόμενοι. τῶν δὲ ἄλλων εἴ τις φησὶ, μὴ σῶμα ἔχον εἶναι, καταφρονοῦντες τὸ παράπαν, καὶ οὐδὲν ἐθέλοντες ἄλλο ἀκούειν. *At Galenus in extremo libri de formatione fœtus ingenuè fatetur, ſe neſcire quid anima ſit, aut plaſtica δύναμις, corpus ne ſit, an incorporeũ quiddam, item λόγος ne ſit, an ἄλογον quiddam. Idem accidit multis alijs, quorum acies mentis obtunditur ſi defixis in res corporeas ſenſibus, in his ſolis ueri-*

*tatem ineſſe arbitrantur, quarum contuitu ita mens cæcutiat, ut oculi ſolent cæcutire ſi quis intentis oculis deficientem ſolem intueatur.* Nam quæ ſenſibus percipiantur ſcribit eſſe nihil aliud, quàm tenebras & umbram, quibus ueritas τῆς οὐσίας occultetur. Propter intuitum ſenſilium rerum autem & accidentium, inquit Socrates in Phædone, ἔδεισα μὴ παντάπασι τὴν ψυχὴν τυφλωθείην βλέπων πρὸς τὰ πράγματα τοῖς ὄμμασι, καὶ ἑκάστῃ τῶν αἰσθήσεων ἐπιχειρῶν ἅπτεσθαι αὐτῶν. ἔδοξε δή μοι χρῆναι εἰς τοὺς λόγους καταφυγόντα ἐν ἐκείνοις σκοπεῖν τῶν ὄντων τὴν ἀλήθειαν. Certum eſt, definitione & demonſtratione quæ percipiantur, (quibus utiq; nihil uerius) ea ſenſibus non poſſe percipi. In primis autem eorum, quæ ſenſib. teſtata eſſe nequeunt, demonſtrationem & definitionem eſſe dicimus, quarum tamen à ſenſib. ut rudimentis arceßit fides, ut quid anima ſit, quid plaſtica potentia, non niſi ratione & demonſtratione nobis exploratum eſſe poteſt. Vt quòd anima ſit οὐσία & ἐντελέχεια corporis Phyſici organici, & quod nõ ſit corpus quoddam, & quòd non ſit partibus diuiduum quid, nec patibile quiddam, ſed principalis cauſa omnium propriorum παθῶν & accidentium quæ inſunt corpori animato, demonſtrationibus eſt perſpicuum certißimis, quorum reſpectu non decuit Galenum ut ſcriberet, ἀπορεῖν ὁμολογῶ περὶ ψυχῆς οὐσίας οὐδ᾽ ἄχρι τοῦ πιθανοῦ προελθεῖν δυνάμενος. Intellectu ergò percipitur, quod ſenſibus apprehendi nequit, non tamẽ ſine ſenſu percipiuntur à nobis, quæ per ſe ſunt intelligibilia. οὐσία, per ſe intelligibilis eſt, non tamen per ſe à nobis intelligitur, cùm τὸ νοητὸν, ſit ποιητὸν quiddam, cùm alioqui per ſe actu νοητὸν, ſit per ſe principium quoddam & εἶδος ἀδιαίρετον, quod ſimplici & incompoſita mente apprehenditur, qualis eſt

à cor-

*à corpore ſeparatus intellectus. Forma autem & λόγος horum nihil eſt, quorum ipſe cauſa eſt in re naturali. Simplici mente, ſimplicia omnia & principia noſcuntur. At noſtra mens ſimplex non eſt, quamobrem ſimpliciter ὅσίως etiam non intelligit, per effectus ſcilicet qui ſenſiles ſunt, cognoſcens cauſas, quod eſt, per ſpeculum, & per ænigma ueritatem apprehendere. Quod intelligentia percipitur, eſt, ut Ariſtoteles inquit, ὅλως λόγος, quod extra eſt in materia, φύσις dicitur ſeu φυσικὸς & ὑλικὸς λόγος, cui ut τῷ καλῷ καὶ ἀγαθῷ, omnem perfectionem rei naturalis adſcribimus, ut quod ſeipſum perficiat, ſuis proprietatibus & à nullo alio ſubſtantialiter perficiatur. Vt anima perficit corpus organicum naturis perficiendo partes ſimilares & organicas, & ijs utendo ut ſeipſam ſaluam & incolumem in corpore ſeruet, pariter forma corporis exiſtens, quinetiã efficiens, & finiens cauſa ſuarum operationum & actionum. Vna igitur exiſtens, materiam ſui corporis multis naturis uariarum partium exornat, partibus & potentijs ſuis, ipſa nihilominus indiuidua, ut principium incorporeum, exiſtens, & tota in toto corpore, & in qualibet parte tota ſubſiſtens. Et hæc quidem omnia ſunt nota demonſtrationib. quibus conſtat animam λόγον, & ἐντελέχειαν eſſe & nequaquam corpus, aut partib. diuiduum quiddam, & hanc ἐντελέχειαν, tot naturis informare partes materiæ ſuæ, quot ſint partes ſimilares, & compoſitas ex his organicas partes συνεχείᾳ φυσικῇ connectere, ut unum ex his conſtituatur corpus animatum. Ipſam uerò animam ut principium, & cauſam multorũ eſſe, nõ modo conſtituendi multas partes, ſed etiam utẽdi his tanquam organis, ad energias ſuas exercendas uim & poteſtatem obtinere. Etenim proprium illud eſt principij, ut*

*unum exiſtens (autore* Ariſtotele*) cauſa ſit multorū.* Phy*ſicas autem* ἐντελεχείας, *quæ ſunt* εἴδη physica, *humanus ſeu noſter intellectus ut* δυνάμει, *& non actu* νοητὰ, *percipit adminiculo ſenſus, à quo ſenſu* propria *quidem* πάθη *& accidentia apprehenduntur, cùm autore* Ariſtotele, *nullius ſcientia in nobis poſſit eſſe, cuius nullus ſit ſenſus, ad intelligendum ſcilicet res corporeas, ut* Plato *inquit,* ſenſib. ὡς ἀλλοτρίῳ ὄμματι προσχρώμενοι. Quoad *uerò actu* νοητὸν *in intellectu noſtro ineſt* λόγος *dicitur &* ποιητὸν *quiddam eſt, cùm ſimpliciter & per eſſentiam* νοητὰ *ſint ipſe intellectus intelligens, quippe in ſecreto intellectu idē ſunt eſſentialiter* Νοῦς, νοητὸν, *&* νοῶν, *ut &* Ariſtot. *docet in* Metaphyſicis. Reſpectu *cuius intellectus* Ariſtoteles *noſtrum comparat in* Metaphyſicis *oculis noctuæ, quibus id propriè accidat, ut clariſſima luce cæcutiant, ita noſtrum, inquit, cæcutire intellectum in cognoſcendis principijs rerum, ut ſunt* λόγοι *conſtituentes eſſentiam rerum naturalium, qui, ut principia,* φύσει *ſint manifeſtiſſimi, ut per quos, effectus omnes cognoſci debeant, quos tamen* λόγους *per ſe non percipiamus, ſed accidentium, tanquam tenebrarum, adminiculo, ut* Noctuæ *tenebris iuuantur, ut manifeſtius aliquid uideant, nihil claro lumine uidentes, quæ tamē ab acutis oculis manifeſtiſſimè cernūtur.* His *quæ diximus, liquet,* εἶδος *animæ, ſeu cuiuscunq; rei naturalis, alio modo eſſe in materia & ſubiecto naturali, & alio modo eſſe in humano patibili intellectu, & alio modo ſeparato intellectu ipſum intelligi, & alio, ſi dicamus aliquid, aut omnia, diuina mente intelligi, quam mentem ſcriptura etiam ſacra* τοῦ θείου λόγου *appellatione (quod uidelicet ſit etiam* ποιητικὸς, *creando* τοὺς λόγους, *qui ſint extra ipſius eſſentiā) ſignificandam eſſe cenſuit, quia uidelicet ſit ge-*

*nita quædam* Mens, *cuius genitorem nominat* Plato *in* Phi*lebo* Νοῦν γεννήτην *ut patrem.* De hoc *myſterio plura ſcripſimus in libro contra* Genebrardum *hæreticum ſcripto, quem egregij* Logodædali *quidam, ne in lucem prodiret, impedierũt.* Dominus *det illis meliorem mentem, & faciat ut intelligentiores ſint* Myſteriorum *diuinorum quàm hactenus fuerint.* Verùm *huius temeritatis nulla eſt alia cauſa quàm philoſophiæ inſcitia, quam ipſi contemnere malunt, quam addiſcere, freti ſua logodædalia, qua plæriſque imponunt, ut quæ uera non ſunt, uera ipſis eſſe uideantur.* Sed *ad propoſitum reuertor.* At Galenus *quid anima, aut plaſticos logos ſit,* οὐδ' ἄχρι τοῦ πιθανοῦ προελθεῖν ἑαυτὸν δύνασθαι *teſtatur, nedum ut eius confirmationem quandam apodicticam eſſe exiſtimet.* Non *enim ſe uidere ſcribit, quomodo* λόγος *poßit aliquid dici, quod ſit expers mentis.* Vocabuli τοῦ λόγου *homonymiam* Galenus, *ſi ex* Ariſtotele *didiciſſet,* ἀλογίαν *ſcilicet formis naturalibus nequaquam adſcripſiſſet, ut quas conſtet intelligentiæ & mẽtis expertes, nihilominus omnium actionum, paßionũ, energeiarum, in qualibet re principium eſſe, nec aliud eſſe principium, quo propriorum* παθῶν, & *accidentium poßint haberi à nobis demonſtrationes, ut uerißimè dictũ illud ſit ab* Ariſtotele *libro primo de partibus animalium:* Ἀρχὴ δὲ ὁ λόγος, ὁμοίως ἔν τε τοῖς κατὰ τέχνην καὶ τοῖς φύσει συνεστηκόσι. Vt *nimirum formalis cauſa ſit medium demonſtrationis, qua probetur proprium* πάθος *ineſſe ſubiecto naturali, quæ forma, & natura, & eſſentia, &* λόγος *rei naturalis dicitur, & non, quod definitio ſubiecti (quæ etiam dicitur & appellatur* λόγος*) medium ſit demonſtrationis, ut ſomnianti uidetur* Philoſophaſtro Simonio, *contra cuius errorem non pauca in* Antiſimonio *no-*

ſtro diſſeruimus. Galen. itaq; diſcrimē ignorat inter ἔνυλον, & λόγον, qui eſt ὅλως λόγος, quo nimirū ſolo res à nobis intelligūtur, ad quem reſpiciens Ariſt. ſcribit in libr. 3. de anima ὅλως ἄρα ὡς χωριστὰ τὰ πράγματα τῆς ὕλης, οὕτω καὶ τὰ περὶ τὸν Νοῦν. At λόγος ἔνυλος eſt, qui materiā informat, qui mentis & intelligentiæ expers, non niſi δυνάμει dicitur eſſe νοητὸς. Eius diſcriminis hæc eſt apud Ariſtot. ratio, quia uidel. ſit ἔνυλος λόγος ſeu ἔνυλον εἶδος. Ἐν δὲ τοῖς ἔχουσι ὕλην δυνάμει μόνον ἕκαστον ἐστὶν τῶν νοητῶν, ὥς ἐκείνοις μὲν (τοῖς ἐνύλοις) οὐχ ὑπάρξει Νοῦς. Ἄνευ γὰρ ὕλης δύναμις ἐστὶν ὁ Νοῦς τῶν τοιούτων (εἰδῶν.) At uerò Galenus formā in materia, negat eſſe λόγον, nempè principiū diuinū & immutabile, determinās omnes actiones & paſſiones rei naturales, ut melius & perfectius habere ſe nequeant res naturales, & quæ forma, reſpectu materiæ ſit quiddā θεῖον, & καλόν, & ἀγαθόν, & ἐφετόν, quoad deformitas ſc. materiæ propter priuationē accidat. Equidem in his Phyſicis λόγοις, ὁ θεῖος λόγος ſeſe nobis ſpectabilem exhibuit, qui λόγοι ſunt quaſi inſtrumentū & manus opificis ac creatoris Dei, ut hoc nomine ſapienter dixerit Aratus, Iouis omnia plena eſſe, cùm opera ipſius ubiq; ſint admirabilia, opificem magis admirandū declarantia. Notū eſt illud Heracliti dictum, cuius mentionem facit Ariſto: in fine primi libri de partib. animalium, ubiq; ſcil. Deum eſſe præſentem, ubi ſint opera ipſius, id eſt, effectus cauſarum naturalium. Cui uerò dubium ſit, quin ſui quodammodo oblitus ſit Galenus, quando in fine libri de formatione fœtus ſcribit, τὴν πλάττουσαν φύσιν τὸ ἔμβρυον, οὐ μόνον οὐκ οὖσαν σοφὴν ἀλλὰ καὶ παντάπασιν ἄλογον. Quàm hoc inconſentaneum eſt his quæ ſcribit in libris de uſu partium, quando in operib. naturæ non negat ineſſe perfectiſſimū

*λόγον, & diuinam quandam Creatoris prouidentiam, ut in his quæ fiunt à natura, nihil potuerit ne cogitari quidē aliquid ſapientius. Quò reſpiciens etiam* Hippocrates, *naturā iuſtiſſimam appellat. Quæ ſi uera ſunt, natura quomodo poterit eſſe ἄλογος? Fortaſſe quia natura non eſt Mens ipſa diuina? At uerò non eſt neceſſe ut ἔνυλος λόγος ſit mens ipſa, aut ſit mente præditum quiddam, quoad uidelicet ipſo nihil temerè aut fruſtra fiat, et determinans omnia, ipſe à nullo alio determinabilis exiſtat. Quo differunt artificū opera, ab effectis naturalibus, quoad uidel. in illis externum principium, nempe artificis λόγος cauſa eſt, in his autem internū principium, naturalis ſcilicet λόγος, cauſa eſt quo res fiant & moueātur naturales, ut melius non potuerint, nempe à* Deo *creatum principium illud motus, & quietis creatum in reb. naturalib. inſit. In præſentia autem naturā & λόγον appellamus, non tantum principium, quo res habiles ſunt ut ſuis motibus & finib. perficiantur, ſed etiā efficiētes δυνάμεις & cauſas & λόγους, qui nimirū ſint ἀρχὴ μεταβλητικὴ ἢ ἄλλῳ ἢ ἄλλο, ut anima eſt principium, & plaſtica animatorū facultas, nec non etiam inanimatorū corporum δυνάμεις, utqua* Rhabarbarum *purgat bilem, aut qua opium corpus humanum refrigerat, principium illud ποιητικόν, reſpectū naturalis principij, per accidens dicitur principium. Ineſt enim naturalib. rebus, nō quia naturalia ſed quia animata ſunt corpora. Ad hanc ſignificationē uocabuli* Naturæ *reſpiciens* Ariſtotelē, *alicubi ſcribit* Deum, *& naturā (ut efficientes cauſas) nihil fruſtra, ſed omnia, boni & finis gratia facere. Hactenus demōſtratum à nobis eſt naturales & ἐνύλους λόγους non minus efficaces eſſe, ut definitè, & finis gratia omnia faciant e moueant, atque ſint* Artificum *λόγοι, quibus nihil fit ſine cauſa, quum creati illi λόγοι Creatorem ſuum imi-*

*tentur, & ſint quaſi manus, & inſtrumentum ſapientiſsimi opificis, cuiuſmodi inſtrumenta fingit ſponte mobilia eſſe* Vulcani, Homerus, *in quibus inſitum principium eſſe dicit, ut ultrò & ſponte ipſa ſeſe moueant, operiſq; artifitioſi effectum præſtare queant.* Ex his, *quæ demonſtrata ſunt hactenus, ſequitur, ut* Animæ *δυνάμεις, aut plaſtica δύναμις, non ſint ἄλογον quiddam, quia mente & intelligentia uacant, ſed ut ſint λόγοι quidam ἔνυλοι, quibus nihil temere, aut caſu, ſed omnia finis gratia fiant, ut melius & perfectius non poßint fieri. Quæ ſi tam multa & tam admiranda ſunt in officina naturæ, quiſquam ne eſt, qui de infinita ſapientia & potentia* Creatoris *poßit dubitare, ut qui hanc uim & efficaciam ſuis inſtrumentis ſic largitur, ut his mirabilius aliquid ne cogitari quidem poßit, ut ἀλογία* Galeni *deinceps impedire nos non debeat, quo minus naſcentium* Animatorum Plaſticon logon *quendam eſſe ſtatuamus, qui ſit animatorum corporum inſtrumentum generationis.*

*Ergo quid, & qualis ſit plaſtica animatorum corporum facultas, & qua uia progrediatur ad gignendū, conſiderandum erit deinceps, nam quòd ἄλογος non ſit: ſed quòd inſtar artificis manus corpora animata efformet, tametſi mente careat, ſatis ſuperq; probatum eſſe arbitror.*

Sperma non eſt inanimatū corpus, ut ſupra fuit dictū, ſed eſt non animatū. Con tradicentibus enim omnia diuiduntur.

*Ex genere autem cùm ſit efficientium cauſarum* Sperma, *& hæ ſint, aut principales, aut inſtrumentales, ex numero inſtrumentalium eam eſſe oportebit.* Animatum *enim corpus cum ſit præſtantius & perfectius corpus quàm nō animatum, & imperfectius non poßit producere uel generare perfectius, ſequitur, ut ſperma, cùm ſit non animatum corpus, ut non ſit principalis animati corporis cauſa, ſed ut ſit inſtrumentalis cauſa.* Animatum *enim, ab animato,*

mato, ut principali cauſa, neceſſe eſt produci. Inſtrumentum autem ipſum per ſe nullam habet efficientiam, quum non niſi χρήσις principalis efficientis ſeu gignentis definiatur, à quo habet plaſticam hanc uim, ut generare aliquid poßit. Sed ut mouendi principium in inſtrumentis Artificum externum eſt: ita in Naturalibus abditum reconditur intra ipſa Inſtrumenta, quod nimirum ſuam materiam animare poßit. Duplicem autem reſpectum habet inſtrumentalis cauſa. Nam & alicuius dicitur eſſe, ut reſpectu utentis ipſo, cùm aliud ſit utens, & aliud ſit inſtrumentum, quo utitur. Et præterea reſpectu etiam eius quod efficitur, uim aliquam & λόγου dicitur habere. Sine his utriſq; reſpectibus, quid Inſtrumentalis cauſa ſit nequit intelligi à nobis. Quinetiam Inſtrumentalis cauſa, & potentia, & actu ſuæ energeiæ, diſtinguitur. Vt Sperma in uaſis ſpermaticis reconditum, non actu, ſed potentia, ſperma dicitur eſſe. Sed tum actu dicitur eſſe ſi propter conceptum mulieris κίνημα formare incipit. Et ſemen frumenti, uel alterius rei potentia dicitur eſſe quando nullam generationis exercet Energeian, ſed tum demum actu ſemen exiſtit, ſi reconditum in terra cœleſti temperamento fit fœcundum, & radicem herbamq; produxerit, cœleſte corpus communi efficientia ad generationes omnium rerum concurrit, iuxta illud Ariſtotelis, Sol & homo generant hominem. Eſt autem in ſubiecto ſuo λόγος σπερματικός ſeu πλαστικός, non ut forma in materia, conſtituens τόδε τι, ſed ut Energeia quædam effectrix operis alicuius, ut actio ædificationis eſt in inſtrumentis Fabri. In eo enim quod mouens, ab alio mouetur energeia ineſt motionis, & non etiam habitus primò mouentis, ut in Artificis inſtrumento, ut in penicillo Pictoris, dumtaxat energeia, & non etiam habitus ip-

*ſe artis ineſt, qualis habitus eſt in ipſo artifice.* A quo *tamen naturale inſtrumentum differt, quòd illius energeæ externum eſt principium, huius autem eſt inſitum & internum.* Energeiam *enim & motum utriuſq; generis inſtrumentorum ſic differre* Ariſto: *libro primo de genera: animal: his declarat uerbis:* Ἡ γὰρ τέχνη ἀρχὴ καὶ τὸ εἶδος τοῦ γινομένου, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ. Ἡ δὲ τῆς φύσεως κίνησις, ἐν αὐτῷ ἀφ' ἑτέρας οὖσα φύσεως τῆς ἐχούσης τὸ εἶδος ἐνεργείᾳ. *Principale efficiens, ſpeciem ſeu* τὸ εἶδος *habet energeia, quod generatur, ratione materiæ ſuæ, potentia &* δυνάμει *ſola dicitur eſſe.* Inſtrumentum *autem efficientis dicitur habere* τοῦ εἴδους *energeian, & nō ipſum efficientis* εἶδος. *Differre autem ſpeciem ipſam ab energeia* (Ariſtoteles, κίνησιν *appellat) ſpeciei, manifeſtum eſt.* Vt Aſpectabilis *rei ſpecies in corpore eſt, color ſci. magnitudo, figura, numerus, motus, & quies. Efficiunt ſpecies illæ & excitant* Viſionem *in oculo, ſed mediante energeia (tanquam inſtrumento) quam diffundunt in pellucente corpore tanquam inſtrumento ſuæ energeiæ.* Non enim *ipſa coloris ſpecies aut figuræ diffunditur in pellucido, ſed ipſius energeia coloris, aut figuræ ineſt, ut* Ars *ipſa, non eſt in inſtrumento, ſed motus in ipſo eſt, & energeia artis. Eſt autem energeia hæc tanquam ſecūdus actus, qui à primo inſeparabilis eſt.* Veruntamen Spermatis *ſeparabilem actum eſſe conſtat ab actu ſuo primo, ut uiſilium ſpeciem propter phantaſiam ſi ſeparatum eſſe dicamus,* Et partes *animalis, aut ipſum animal, ut* τόδε τι, καὶ ὡς τετελεσμένον *non eſſe in ipſo ſemine, (ut* τὰ φαντάσματα *nō ſunt in ipſa phantaſia) ſed energeia quædam* ποιητική, *qua animatū inſtrumento ſeminis poteſt aliud efficere & generare animatum corpus.* Ergo *plaſticus* λόγος, *eſt energeia ſeu* κίνησις *quædam in corpore quodam,*

qua

*qua energ a corpus animatũ poſsit generare aliud corpus animatũ, qua generans, generato, uel ὁμοειδὲς, uel ὁμογενὲς exiſtit, cùm cœlũ etiam animata quædã generet, genitis nõ ὁμοειδὲς exiſtens. Efficax enim cœlum eſt, nam animatũ eſt corpus, in concremento certo elementorũ plaſticã quandã energ am excitare, qua formẽtur deinde animalia ſeu animata corpora, ſed ignobiliora his, quib. ut ὁμοειδεῖς generantur ὁμοειδῆ animata. Sed de his cõmodius poſtea diſſeremus. Anima ſeu animatũ corpus, quod genitalẽ humorẽ in animalib. quibusdã generat (eum nõ ex omnib. corporis partib. colliquatũ quendam humorẽ nos ſtatuimus, in quo ſit plaſtica hæc δύναμις, ſed generatũ in uaſis ſpermaticis) ſi humor ſecundũ naturã ſe habeat, cõfert ei energ ã hanc plaſticã, qua, ut inſtrumẽto maſculin. ſexus, generare poſſit. Animati enim corporis omniũ partiũ δυνάμεις, ſuas energ as conferunt in ſpermate, quo poſterius, tanq̃ inſtrumẽto, ſimile ſibi in ſpecie, generare poſsit. Vt ſpecies aſpectabilis corporis, ſua energ a, quã diffundit in pellucido, uiſionẽ excitat, ut quæ ſunt extra, eadem omnia intra oculi complexu cõtineri uideãtur, et alio modo ſentiãtur, quàm quoad ab inſtrumẽto pellucidi corporis oculo offerantur. Nã in pellucido, per energ ã corporis aſpectabilis diffuſa, ſine quantitate, & ſine partibus, omnia ſunt in omnib. ſine mixtione, ſine confuſione, & tota in totis alijs, ut eadẽ numero res ab innumeris tota, & integra conſpici poſsit, nõ ut unus, partẽ unam, et alius, partẽ aliam uideat (propterea quòd energ a talis, non ſit ἔνυλον quiddã) ſed ut ſinguli totam. Et quamuis hæc energ a ſit ſine quantitate, et partib. & motu, nihilominus in ſenſu oculorũ excitãt ſenſionẽ rerũ, quoad quantitatẽ et motũ habent res ipſæ aſpectabiles. Hoc quaſi exemplo per Analogiã declarari ratio poterit,*

propter quam ſeminis λόγος nulla quantitate nulliſq; partibus quantitatis prædıtus, ſed quiddam ὅλως ὅλον exiſtens, nihilominus ad efformandum corpus, diſtributum partibus ſimilaribus & organicis efficax ſit. Minutis enim ſeminibus quanta corpora animata generētur, perſpicuum & notum eſt omnib. energeia aſpectabilium rerum, quantula per anguſtum foramen pupillæ ingrediatur haud puto quenquam ignorare, ea tamen in cauſa eſt, ut uaſtiſsimæ et ampliſsimæ magnitudines rerum cernantur. Sic etiam anguſtiſsimo ſeminum corpore energeiæ ſeminalium λόγων includuntur, quibus tamen admirabilis ſtructura partium animati corporis efficitur, quamuis tales partes in hac κινήσει, ſeu ἐνεργείᾳ ſeminis nequaquā inſint. Vtitur Ariſtoteles uocabulo κινήσεως, pro uocabulo Energeiæ, quoniam, ut inquit lib. θ. Metaphyſ. δοκεῖ ἡ ἐνέργεια, μάλιστα ἡ κίνησις εἶναι. Quādo efficitur aliquid, tum à perfecto ſeu primo actu, ſed mediante ſecundo, generatur aliâs quippiam, ut aqua calefit calore ignis, ſed mediante θερμαντοποιήσει ſeu calefactione, quæ eſt ſecundus actus caloris. Differunt autem actus ſecundi, (qui nihil aliud ſunt quàm Energeia primorum actuum) quòd uidelicet quidam diſcrepāt ſubiecto à primi actus ſubiecto, quidam uerò non diſtinguuntur. Vt θέρμανσις, ſubiecto nō diſtinguitur, à ſubiecto primi actus caloris. At coloris, qui eſt primus actus, ſubiectū eſt corpus aſpectabile. Ipſius autem actus ſecundi, quo uiſum qui oculos afficit, ſubiectum eſt, corpus διαφανὲς, ſeu pellucidum. Simili modo generantis animatum corpus, actus primus eſt Anima, cuius ſubiectum eſt corpus organicum, actus autem ſecundi, qui eſt Energeia generantis, ſubiectum eſt humor ſpermaticus. Ille ſecundus actus inſtrumentalis triplici ratione differt à ſecundo actu

ſeu

ſeu Energεια corporis aſpectabilis. Prima eſt, quòd ambo actus generationis Animati corporis, ſunt ſubſtantiales, ſed aſpectabilis corporis ambo actus, primus & ſecundus, ſunt Accidentia. Altera eſt, quòd actus ſecundus Aſpectabilis corporis reſpectu uiſus, non eſt energεια κινητική, ſed ἑκτική ſeu ἐπιτελεςική. Generantis autem, actus ſecundus, eſt κινητικός, & alterationibus id quod naſcitur, perficiens. Tertia eſt, quòd actus ſecundus ſeu energεια plaſtica, tanquam inſtrumentum generationis, à ſubſtantia primi actus ſeparabilis eſt, proprium habens ſubiectum, ut humorem Spermaticum. Sperma enim, niſi ſeparatum ſit ab eo, quod generat ſperma, fœcundum, id eſt, ſperma actu ſecundo nequit dici, ſed duntaxat δυνάμει dicitur ſperma eſſe. In nonnullis, ſecundi actus, quo generatur Animal, quem, plaſticam facultatem appellamus, ſeu ποιητικὴν δύναμιν, ſubiectum non eſt, humor ſpermaticus, ſed materia quædam genitalis, quæ in fœmineo ſexu reconditur plaſticum hunc actum in ſe recipit, ut ſit tranſitus plaſtici actus, iſtius quaſi incorporeus, quo materia κυήματος efformetur in ſpeciem animalis. Gallinaceorum incubitu ſic fœcunda efficiuntur oua, cùm alioqui ſint ὑπηνέμια & infœcunda, quod de auibus etiam dictum uolumus. Nonnulla ſunt, in quibus fœmineus ſexus inſtrumenti immiſsione cuiuſdam genitalis, plaſticam hanc energεiam materiæ κυήματος formatricem in ſe traducit. Quo manifeſtum eſſe docet Ariſto: plaſticam uim & δύναμιν non eſſe formam quandam conſtituentem τόδε τι, ſed ἐνέργειαν quandam ſubſtantialem ποιητικὴν eſſe corporis animati, quæ excitata ſit à corpore alio quodam animato. Nam actus ſecundus, ſine primo nullus eſſe poteſt. At ſecundus actus, quamuis reſpectu primi actus, ſit energεia ſeu plaſticum quiddã,

nihilominus reſpectu materiæ, quæ formatum κινητικὸν ſeu ποιητικὸν quiddam dicitur, primi actus inſtrumentalis cauſa exiſtens, quo tamen ut forma in materia τόδε τι non conſtituatur, cùm plaſticos λόγος ſit energeia quædam ſine materia, an uerò ſit omnino ſine corpore quodam, poſterius uidebimus. Quòd autem ſit ſecundus tantum actus ſeu energeia quædam, plaſtica facultas & non τόδε τι quoddã conſtitutum ex materia, & forma, ex eo perſpicitur, quòd uidelicet primi actus reſpectu, ſit ſecundus actus, quo primus, tanquam inſtrumento, generare animatum dicitur. Et quòd reſpectu etiam eius quæ informatur materiæ, nõ poſſit dici forma, quandoquidem reſpectu eius ſit, ut inſtrumẽtum ποιητικὸν, & inſtrumento, atq; eo quod efficitur inſtrumento, non poßit unum τόδε τι conſtitui. Vt inſtrumẽto ædificantis, & materia domus, non conſtituitur unum aliquid, ut materia & forma unum conſtituitur. Nam alio modo Fabro, & lignis, dicitur conſtitui domus, & alio modo ex Figura, & cera, conſtituitur Sphæra. Quæ diximus & interpretati ſumus hactenus, his uerbis complexus eſt Ariſtoteles libro primo de Generatione animal: καθόλου γὰρ ἐπισκοποῦσιν οὐ φαίνεται γιγνόμενον ἓν, ἐκ τοῦ παθητικοῦ, καὶ τοῦ ποιοῦντος, ὡς ἐνυπάρχοντος ἐν τῷ γινομένῳ τοῦ ποιοῦντος. ἀλλὰ μὴν τό γε θῆλυ, ᾗ θῆλυ, παθητικόν. τὸ δὲ ἄρρεν, ᾗ ἄρρεν, ποιητικόν, καὶ ὅθεν ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως. ὥστε ἂν ληφθῇ τὰ ἄκρα ἑκατέρων, ᾗ τὸ μὲν ποιητικὸν, καὶ κινοῦν, τὸ δὲ, παθητικὸν, καὶ κινούμενον, οὐκ ἔστιν ἐκ τούτων γιγνόμενον ἕν, ἀλλ' ἢ οὕτως, ὡς ἐκ τοῦ τέκτονος, καὶ ξύλου, ἡ κλίνη, ἢ ὡς ἐκ τοῦ κηροῦ, καὶ τοῦ εἴδους, ἡ σφαῖρα. Δῆλον ἄρα ὅτι οὐκ ἀνάγκη ἀποκρίνεσθαι (σπερματικὸν ὑγρὸν) ἀπὸ τοῦ ἄρρενος, οὐδ' εἰ παρέχεται διὰ τοῦτο ἐκ τούτου ὡς ἐνυπάρχοντός τὸ γιγνόμενον ἐστὶν, ἀλλ' ὡς ἐκ κινήσαντος, καὶ τοῦ εἴδους τῆς ἰατρικῆς, ὁ ὑγιασθείς. Συμβαίνει δ' ὁμολογούμενα τῷ λό-

γῳ καὶ

γῶ καὶ ἐπὶ τῶν ὀργῶν. διὰ τοῦτο γὰρ ἔνια τῶν ἀρρένων καὶ συνδυαζομένων τοῖς θήλεσι οὐδὲ μόριον οὐθὲν φαίνεται προϊέμενον ἐς τὸ θῆλυ, ἀλλὰ τοὐναντίον, τὸ θῆλυ, ἐς τὸ ἄρρεν, ὃ συμβαίνει ἐνίοις τῶν ἐντόμων. Ὁ γὰρ ἐν τοῖς προϊεμένοις ἀπεργάζεται τὸ σπέρμα ἐν τῷ θήλει, τοῦτο ἐν τῷ ζώῳ αὐτῷ ὑγρότης καὶ δύναμις ἐς φέροντος τοῦ θήλεος τὸ δεκτικὸν τοῦ σπέρματος. *Si quæ præterea ſunt, requiri debent ex* Ariſto: *ipſo cuius, ſenſum interpretari ſed non omnia uerba deſcribere inſtituimus.* Demonſtratū hactenus opinor quòd uidel: *ſperma ſit inſtrumentalis cauſa & λόγος quidā ποιητικὸς ſeu πλαστικὸς ſed non ἔνυλος, efficiens ſeu generans corpus animatū, & non etiā ipſum animatum exiſtens, mediū, inter animatū, & animandū interpoſitum, ſine informatione alicuius materiæ ad efficiendum efficax, ut actus, & energeia quædam ſecunda. Deinceps autē quæritur, utrum ſemen ſeu λόγος ille πλαστικὸς, quemadmodum ſit ſpecies quædam ἄϋλος, ita quoq; ſit incorporeum & ἀσώματον quoddam εἶδος, animam producens in materiato corpore organico.* Quòd *non ſit ἀσώματος λόγος, manifeſtum eſt, alioqui* Mens *eſſet, λόγος ille, cuius tamē nullo modo poßit eſſe cauſa corpus animatū, cùm tamen τοῦ πλαστικοῦ λόγου, corpus animatum cauſa efficiens exiſtat.* Dixerit *forſan quiſpiam,* quòd *ſi σπερματικὸς λόγος eſt corpus aut corporeum quiddam. ſequitur ut ſit etiā ipſum per ſe mobile, & τόδε τι quoddā,* Cui *reſpondemus,* quòd, *tametſi* Sperma *corporeum ſit quiddam, non ob id tamen eſſe ſeparabile ſeu χωριστὸν quiddam, ut aliâs* Efficientia *ſunt & dicuntur χωριστά, & τόδε τι quiddam eſſe, ut eſt cœleſte* Corpus, *aut humor genitalis. Semper enim σπερματικὴ δύναμις concretum quiddam eſt cum materiato corpore quodā, ex quo a-*

*nimatum corpus δυνάμει ſpermatis naſcitur. Sed mens & intellectus,non modò reſpectu materiati, ſed etiam nõ materiati corporis (quale eſt cœleſte corpus) χωριστὸν quiddam exiſtit,* Nam quòd Mens *informet corpus (inquit* A*riſtoteles) χαλεπὸν καὶ πλᾶσαι, & ob id etiam primus cœleſtium orbium motor,quòd ſit* Mens,*ab* Ariſtotele *pro incorporeo defenditur, corpus autem cœli, reſpectu animæ ipſius,potentiam aut materiam ſubſtantialem nullam habet,ſed dumtaxat eam, qua, partium quantitatis cauſa, mobile quiddam in loco partibus eſſe dicitur, ut* Anima *cœli, aut potius cœlum ipſum,nihil aliud ſit,quàm anima corporea ipſa ſeipſam loco mouens,ut alicubi ſcribit* Auerroës. Dicitur *autem corporea, quòd corpus* Solis *ſuum non ut materiam informet,ut caducarum rerum animæ ſolent, ſed proprium ipſius & ab ipſo inſeparabile exiſtens, ipſa quodammodo ſeipſam ſempiterno motu cõuertat in orbẽ, practico motu naturam ab anima ſua accipiente corpore.* Comparat Ariſtoteles πλαστικὸν *ſeu* σπερματικὸν λόγον, Arti,*ut qui ſine inſtrumẽto corporeo nihil efficiat.* Quæ*ritur ergo quale ſit illud corpus cuius inſtrumento moueat materiam ſuam σπερματικὸς λόγος? Stoici dicunt,quodam* Αἰθερῶδες *eſſe σῶμα diuinum, ὄχημα quoddam ipſius exiſtens animæ, quale ſit etiam corpus plaſticæ facultatis, quem* Autor *libri primi de* Diæta *apud* Hippocratẽ *(nam* Hippocratis, *negat eſſe* Galenus) *ignem artificioſum appellat ad gignendum progredientem uia, ut ipſum definit* Zeno *apud* Ciceronem. Quæ,*& qualis hæc ſit cauſa continens* Stoicorum, *declaratum à nobis eſt in libro quem ſcripſimus de cauſa continente, plura quidem de ipſa, hoc loco non dicturus.* Quod *illi* αἰθερώδες, Ariſtoteles ἀνάλογον τῷ ἄνω στοιχείῳ,*nempe quinto* Elemento *proportio*-

ne ſi-

*ne ſimile appellat. Corpus illud differt à cœleſti* Elemento, *quòd uidelicet* φύσιν *nullā habeat, quæ ſit ſeparabile à materia ſua ſeu genitali humore.* Et ob id Ariſtoteles, *ipſum, non cœleſte, ſed proportione ſimile cœleſti eſſe dicit, nempe* ἀνάλογον τῷ ἄνω στοιχείῳ, *penetrabile corpus illud eſt per uniuerſam materiam efformans & effingens ipſam, naturis partium diſtinguendo, ut aliâs ſplendorem in pellucido, aut uim magnetis, per peluim mouendo ferri ramenta penetrabilem dicimus eſſe.* Nam *omnino ſpiritale eſt corpus illud, cognatiſſimū ſubſtantiæ* τοῦ πλαστικοῦ λόγου, *quem* Energeian *quandam primi actus eſſe conſtat, & quaſi actū ſecundum, ſed ſubſtantialem, animati, & phyſici corporis alterius, ipſum ſcilicet non phyſicum corpus exiſtens. Alioqui enim corpus phyſicum, materiā ſuam ſubire & penetrare non poteſt.* Penetratio *enim nulla eſt phyſicorum corporum.* Ἀπαθὲς *per ſe tale corpus etiam exiſtit, ut* λόγος *etiā eſt* ἀπαθής, *ad efficiendum dumtaxat, & mouendū generandumq́; corpus animatum efficax, ipſum neq; animatum, neque naturale exiſtens, utriuſq; tamen quodammodo eſt (ut ſic loquar)* ἀπογέννημα, *actuſq́; ſecundus ſubſtantialis, cum ſua materia efformanda coniunctus, qua tamen coniunctione conſtituatur (ut ſupra oſtendimus) tanquam ex materia & forma unum* τόδε τι. Hæc *omnia quòd ſint uera, & conſentanea, & neceſſaria, effectis ipſis manifeſtum eſt.* Nam *in phyſicis, à poſterioribus, ad priora, id eſt, ab effectis ad cognitionem cauſarum procedimus.* Methodus *enim hæc eſt noſtra, ut incipiamus à nobis notioribus, quorum notitia efficimus ut quæ* φύσει *ſunt notiora, etiam nobis ſint notiora.* Ariſtoteles *animæ* ἐντελέχειαν *ſeu formam non minus atq;* Πλαστικὸν λόγον, *tali quodam ſpiritali corpore deuinctam & cum corpore phyſico ex*

*Elementis concreto compoſitam eſſe ſcribit, quandoquidem anima nutritione conſeruet corpus ſuum, qua neceſſe eſt ut ex nutrimento non animato aßimilando ipſum faciat animatum, ut ex non carne, carnem, ex non oſſe, os, ex non neruo, neruum, aut membranam, reliquarum partium ſimilarium eadem & par eſt ratio, ut quodammodo plaſticæ facultati, anima, hac ratione ſimilis eſſe uideatur, & eiusdem* αἰθερώδους *corporis particeps, nõ ſine corpore diuino quodam ſuas exercens operationes etiam reliquas, ut ſenſiones, & motus in loco, quoad uidelicet anima internum mouendi eſt principium, & non ſolo contactu (ut inanimata) corpus aliud extra ſe mouentia, quorum ſubſtantialibus formis immediatè, absq; ſpiritali illo corpore, temperaturæ elementorum efformãtur, nullam uim habentibus ad generandum aliud.* Vt autem *ſpecie differunt inter ſe* Animæ, *ſic etiam gradibus, nobilitate, & ignobilitate differunt* ὀχήματα *hæc* Animarum, Autore *Ariſto:* lib. 2 de Generati: Animali: *ubi ſic ſcriptũ reliquit* πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. ὡς δὲ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις. *Diuinum quidem dicitur, quia eſt uiuificum corpus, cùm quod uiuificatur, ſit ex elementis concretum, quorum nulla uis ſit ad uiuificandum.* Corpus illud, *Ariſtoteles* ἔμψυχον θερμὸν *appellat, quod neq; ignis ſit, neq; igneũ quiddam, habens* ζωτικὴν *facultatem, ut ſolis eſt calor, uel nonnunquam animalium in corporibus excrementa, aut aliâs quadam putredine, innaſci tale principium ſpermaticum experimur, quod Ariſto:* lib. 3. de Genera: Animal. θερμότητα ψυχικὴν *appellat, qua ratione,* τρόπον τινα πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη *uideantur;* ὧν οὖν ἐστιν ἐν τῷ συνισταμένῳ γε.

Inanimata non poſſunt generare.

*μὴ γένεσις.* *Perfectorum animalium ſpermaticum principium in ipſis generatur animalibus, in quo, quomodo cõtineatur* θεῖον *illud ſeu* ἔμψυχον θερμὸν *Ariſtoteles lib. ſecundo de generatione Animalium his expoſuit uerbis.* Πάντων μὲν γὰρ ἐν τῷ σπέρματι ἐνυπάρχει ὅπερ ποιεῖ γόνιμα εἶναι τὰ σπέρματα, τὸ καλούμενον, θερμόν. Τοῦτο δ' οὐ Πῦρ, οὐδὲ τοιαύτη δύναμίς ἐστιν, ἀλλὰ τὸ ἐμπεριλαμβανόμενον ἐν τῷ σπέρματι, καὶ ἐν τῷ ἀφρώδει πνεῦμα, καὶ ἡ ἐν τῷ Πνεύματι, φύσις, ἀνάλογον οὖσα τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ. ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐν τοῖς ζῴοις θερμότης, οὔτε Πῦρ, οὔτ' ἀπὸ Πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχήν, ἐκ τῶν τοιούτων ἐστὶ φανερόν. *His quæ dicta ſunt hactenus, manifeſtum eſt cuiusmodi ſit corpus quo Anima ſuum corpus organicum uitam habens* δυνάμει, *uiuificet, & eodem etiam quomodo* Πλαστικὸς *ſeu* σπερματικὸς λόγος *efformet animandas partes, qui* λόγος, *quando perduxerit ad finem generationis informandum Anima corpus locum cedat animæ, ipſe euaneſcens. Quoniam ut ſcribit Ariſtoteles.* τὸ μὲν οὖν σπέρμα τοιοῦτον, καὶ ἔχει κίνησιν καὶ ἀρχὴν τοιαύτην ὥστε παυομένης τῆς κινήσεως γίνεσθαι ἕκαστον τῶν μορίων, καὶ ἔμψυχον. *In quo ſubiecto enim ineſt anima, in eodem* λόγος σπερματικὸς *ineſſe nequit. Nam* Πλαστικὸς λόγος *in materia eſt, ex qua, cauſa* δυνάμεως, *generatur organicum corpus, ſed anima eſt, ut* ἐντελέχεια, *in perfecto iam organico corpore, & deſinente motu generationis ipſe etiam* λόγος πλαστικὸς *deſinit eſſe. Alia quæſtio eſt, qua quæritur, utrum à materia ſpermatica ſeparabile ſit* ὄχημα *illud* θεῖον, *ex quo,* σπερματικὸς λόγος *mouet generatq́; & quo etiam, generatũ anima poſterius informatur ipſum organicũ corpus. Ariſtot: in his caducis & natura lib. formis nullã præterq̃ animam humanã ſeparabilẽ eſſe*

ſtatuit libro λ. Metaphyſ: Reliquas animas autem omnes ἀχωρίστους cenſet, quòd uidelicet ſine corpore nullam poſſit præſtare energeiam. Hanc animã, libro ſecundo de generatio: animal: Νοῦν appellat, quem θύραθεν, id eſt extrinſecus aduenire, & non de potẽtia materiæ procreari ſcribit. Idem libro eodem, ipſum Νοῦν, in materia τῆς γονῆς recipi ſcribit, & ὄχημα ipſius à materia, & corpore ſpermatis eſſe ſeparabile, cùm aliarum ὄχημα, non ſit χωριστὸν & prius horũ anima non ſit: quia generetur λόγῳ σπερματικῷ, qui γενέσεως præcedat ἐντελέχειαν animæ. Idem Plato etiam, præceptor Ariſtotelis, ſenſiſſe uidetur, qui in Phædro, extrinſecus, in genitalem humorẽ ſubire Animas humanas ſcribit propter Νοῦν ſempiternas, & quæ non ſimul cum corporibus naſcantur, & intereant,. ἀλλὰ τὴν μὲν πλεῖστα ἰδοῦσαν εἰς γονὴν ἀνδρὸς γενησομένου φιλοσόφου, ἢ φιλοκάλου, ἢ Μουσικοῦ τινος, καὶ ἐρωτικοῦ μεταλαμβάνεσθαι. Fabulam nunc μετεμψυχώσεως omitto. Nam Deũ noſtrarum animarum creatorem agnoſcimus nos, quid Philoſophis uideatur, nunc recitamus. Ariſtoteles ergo animæ humanæ ὄχημα, propter Νοῦν, à genitali humore ſcribit eſſe ſeparabile. Quin etiam efformari eodem corpus ipſum organicum, quod ipſum corpus, non ipſe per ſe Νοῦς, ſed propter animam informet perfecta corporis γενέσεως, quam plaſtica δύναμις (quæ adſcribitur τῷ σπερματικῷ λόγῳ) inſtrumento huius ὀχήματος perficiat, quam ſeminis, & nõ animæ propriam uim eſſe ſupra oſtendimus, propter Νοῦν autem anima hominis ingredi naſcendo, & egredi moriendo dicitur, quam, ob eandem cauſam ſcriptura ſacra. ſpiraculum etiam diuinum, & Euripides, animam humanã, ἀνθρωποδαίμονα, nominat, quòd à corpore ſeparabilis ſit eſſentia & forma hæc, reliquis omnib. exiſtentib. inſepa-

rabi-

rabilibus. Perq̃ obſcuris & perplexis uerbis his inuoluit Ariſtoteles, quæ nos hactenus planius ſumus intrepretati. Τὸ δὲ τῆς γονῆς σῶμα (ἐν ᾧ συναπέρχεται τὸ σπέρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς) τὸ μὲν χωριστὸν ὂν σώματος, ὅσοις ἐμπεριλαμβάνεται τὸ θεῖον, τοιοῦτος δ' ἐστὶν ὁ καλούμενος Νοῦς, τὸ δ' ἀχώριστον τοῦτο σπέρμα τῆς γονῆς, διαλύεται καὶ πνευματοῦται, φύσιν ἔχον ὑγρὰν καὶ ὑδατώδη. Διόπερ οὐδὲ δεῖ ζητεῖν ἀεὶ θύραζε αὐτὸ ἐξιέναι, οὐδὲ μόριον οὐδὲν εἶναι τῆς συστάσης μορφῆς. An Sperma ſeu πλαστικὸς λόγος ſit pars generatæ poſterius animæ, an uerò nulla pars ipſius perfecto corpore organico permaneat ſed omnis & ex toto aboleatur, quæri ſolet. Quòd ex ſemine, & materia ſeminis, ut inſtrumento & materia, ex qua efficitur quidpiam, non conſtituatur unum τόδε τι ſupra fuit oſtenſum. Iam quæritur de forma, ſeu de anima, num πλαστικὸς λόγος pars ipſius ſit, an uerò perfecta generatione organici corporis, diſſoluatur & euaneſcat, ut coaguli uis perit & exoluitur concreto lacte in Caſeum. Quòd ſit diſſolubilis λόγος ille, quòdq; euaneſcens, informãti corpus animæ cedat, hoc argumento probat Ariſtoteles. Seminis ſubiectum eſſe aëreum quendam ſpiritum ſcribit & ſpumoſum quendam humorem eſſe, qui poſt generatum corpus organicum diſſolubilis ſit, quo diſſoluto λόγος etiam ille πλαστικὸς diſſoluatur unà, inſtrumentali ſcilicet efficiente cauſa cedente locum ſubeunti formali cauſæ, id eſt, animæ, incolumi manente corpore illo diuino quod Analogia ſimile ſit cœleſti corpori, quo non tantum πλαστικὸς λόγος ad generandum, ſed anima quoq; ei ſuccedens efficax ſit ad uiuificandum & conſeruandum corpus. Non enim ſi quid eſt in aliquo efficiens ipſum, poſtquam effecerit, ipſum, ab eo quod effecit, tanquam inſtrumentum ſeparabile eſſe opor-

tet, & quaſi effecto opere exire & emigrare, neque etiam permanere, ut pars ſit effecti operis, quòd enim poſſit aboleri & permutari λόγος ille ποιητικὸς forma animæ, modò eſt demonſtratum. Quo manifeſtum eſt à concreto ex elementis corpore in cæteris omnibus animatis (excepto homine) nihil eſſe χωριστὸν ſeu ſeparabile, quum neq; σωματικὸς λόγος, neq; anima ipſa, neque etiam utriſq; commune illud τὸ θεῖον σῶμα ſeparabile ſit. In generatione autem hominis πλαστικὸς quidem λόγος, ut inſtrumentalis cauſa inſeparabilis eſt, anima autẽ humana quum τῷ πλαστικῷ λόγῳ nõ educatur de potentia materiæ, ſed introducatur in eam propter diuinam & immortalem & non niſi creabilem, non autẽ generabilem mentis eſſentiam, cum diuino corpore illo concreatum quiddam erit, & cum illo, unà cum plaſtico logo in genitali humore includetur, ut plaſtica facultate formato corpori organico, tanquam μορφὴ quædam inſit, ita tamẽ ut animæ humanæ εἶδος non ſempiternum fuerit, ut Platoni, & Ariſtoteli uidetur, ſed à Deo creatum εἶδος, quod à corpore tamen χωριστὸν ſit, & ut aliæ formæ naturales, nequaquam generabile per accidens aut corruptibile εἶδος exiſtat. Prius ergo (autorib. Philoſophis) fuiſſe animam humanã oportet, quàm introducatur θύραθεν in corpus humanũ, & ipſum informet. Quare in ſemine prius erit anima, ut εἶδος, & poſterius, in corpore organico, erit ut μορφὴ quædã, ut reſpectu utriusq; χωριστὸν quiddam exiſtat anima, cui conſubſtantiale ſit σῶμα θεῖον illud, quod à quibusdam ὄχημα animæ appellatur, quò nimirum corpore ſe induat, & exuat corpore phyſico, ex elementis concreto. Quomodo differant autem εἶδος, & μορφὴ, docet Ariſtoteles, nam uocabulo τοῦ εἴδους ſignificatur, per ſe exiſtens ſpecies, ſed

*es,ſed μορφῆς,quoad ſpecies informat materiam. Anima humana, quoad ſeparata eſt ſpecies, εἶδος, ſed quoad ſeparabilis, dicitur μορφή. In quibus autem plaſtica facultate de potentia materiæ educitur anima, in his χωριστὸν nihil eſt, nec quoddam præfuit εἶδος, aut eius pars, aut tota eſſentia conſtitutæ & generatæ μορφῆς ſeparabilis eſſe poterit.* In *ſacris etiam literis* Animæ *dicuntur egredi, propter ſemen, è lumbis patrum, ut prius non formentur organica corpora quàm creatæ ſint à* Deo *Animæ, quæ plaſtica facultate θύραθεν* propter *creationem introducuntur in corpus. Prius ergo increatæ exiſtunt animæ humanæ, quàm ijs corpora informentur, ſecundum horum* Philoſophorum *ſententiam, at nos creationem, quam æternitatem defendere propter ueritatem religionis, pium eſſe dicimus. Nam quæ ſimul cum corpore generantur μορφαὶ ſeparabiles non ſunt, ſed ſimul cum ipſis corporib. intereunt.* Quemadmodũ *autem* Sanctus Iobus *de reſurrectione ſua uaticinans, dicit futurum ut anima ſua corpus ſuum recuperando in carne denuo uiuat, ſed glorioſi corporis, ſemetipſum appellans, animam ſuam, quæ ſoluta corporeis uinculis antea uixerit, quã reſurgeret in corpore, ita quoq;* Deus Creator *dicit, (ut quibusdã uidetur ſe agnouiſſe* Ieremiam, *ideſt, animã ipſius creatam prius, quàm corpus ipſius formatum eſſet in utero matris ſuæ, ut creatio animæ prior ſit, quàm formatio corporis organici, cuius corporis anima, poſtea quaſi μορφὴ exiſtat.* Anima *igitur humana ſuam eſſentiam non generatrici* Naturæ *ſeu* τῷ πλαστικῷ λόγῳ, *ſed* Creatori Deo *(qui omnes* Animas *&* Naturas *rerum in numerato habet) tranſcribit. Conſentaneum autem eſt, quòd* Anima *hominis non ſit poſterior organico* Corpore, *quod uidelicet ſint*

Nonnulli dicunt omnes animas humanas ab initio ſimul creatas fuiſſe, & poſtea periodis generationũ ingredi corpora.

*ſimul* μορφῇ, *& ultima materia, quoniam ut inquit* Ariſto: *lib:* λ. Metaphy: τὰ μὲν κινοῦντα αἴτια, ὡς προγεγενημένα ὄντα, τὰ δ' ὡς ὁ λόγος, ἅμα. Neq; *etiam quod ſimul ſit, conſentaneum eſt, alioqui enim non erit* χωριστὸν εἶδος, *anima humana.* Quamobrem *priorem eſſe oportebit, non generatione, ſed creatione (quam creationem tamen negant* Philoſophi) *quoniam ut* Ariſto: *inquit, libro primo de anima,* εὐλογώτατον, τὸν Νοῦν προγενέστατον, καὶ κύριον κατὰ φύσιν εἶναι. Itaq; Phyſicis *his rationib. conſtat animam humanã priorem eſſe* φύσει *corpore organico, propterea quòd* χωριστόν *ſit quoddam* εἶδος, *&* θύραθεν *inſinuatione, corpus ſuum informet.* Ex *traduce autem propagari animas humanas ſecundum* Ariſtotelem *&* Platonem, *nequaquam eſt conſentaneum.* Aeternas *ipſas eſſe fingunt, ingredi autem & egredi corpora ſua infinitis hominum generationibus & corruptionib. arbitrantur.* In *genitali humore per generationem ingredi, & morte ſolutis corporibus egredi rurſus.* Alij, *ſimul initio creatas omnes animas humanas cenſent, & fatalibus temporibus ſingulas ingredi ſua corpora, uſq; ad conſummationem huius & finem caduci ſeculi.* Alij *opinantur quòd propagentur ex traduce, quòd uidelicet ſic generentur opificio* τοῦ σπερματικοῦ λόγου, Homo *ut quælibet alia animata, quorum animæ, de potentia materiæ educuntur in actum.* Alij, *quòd per creationem* Dei *ſimul cum formatis ex traduce plaſtico logo corporibus incipiant eſſe, ſed nõ prius creari animas humanas quàm informent corpus ipſum à ſemine apparatum & informatum.* Hanc *diuus* Hieronymus *tuetur ſententiam.* Eſſe *opus naturæ animam humanam confitentur, qui propagari eam traduce cenſent, à* Philoſophis & Theologis *diſſentientes.* Vt *autem naturæ inſtrumento*

Animas humanas ex traduce non naſcendum phi‑loſo:

*mento plaſtico ſeminis* Deus *reliquas creaturas formet, ſolum hominem tantum* Deus, *cum natura plaſtica, corpus formare, & creare etiam ſimul animam, ipſa* Scriptura *ſacra paßim teſtatur*, Vt Pſalmo CXXXVIII. Oculi tui *inquit* Pſaltes, *uiderunt conceptum ſeu* κύημα meum. Et Eſaiæ cap: 57. *ſic loquentis* Dei *uerba habent:* Quia *ſpiritus qui eſt à facie mea induit corpus, & animas ego feci.* Dicit Deus *à facie ſua procedere ſpiritū hominis & creatum informare corpus.* Ruah *millephanai iaetoph.* Plaſtes *autem animæ humanæ* Deus *dicitur eſſe, & ut ab initio fuit, ita quoq; nunc, ut creator ipſius eſt, cauſa quòd uidelicet, ut* Angeli, *ita quoq; creatum quiddam ſit à* Deo *anima humana, & quoddam ſit, quaſi ſpiraculum* Creatoris Dei, *& non naturæ plaſticæ quoddam generatum & propagatum opus.* Creatio *autem animæ, & cum hac informati corporis organici perfectio, quaſi extrema manus uidetur eſſe* Creatoris Dei, *naturæ genitali* Deus *primam* γενέσει *officinam concedens, extremam ſpeciem ipſe creando animam complens, ut nos eſſe etiam non naturæ,* ποίημα *aut* πλάσμα *ſed rei filios ác progeniem agnoſcamus, ut etiam nunc creare non deſinat humanas animas* Deus. Credo Philoſophos, *ſi agnouiſſent* Deum *creatorem, nobiſcum conſenſuros, & non prius animas, quàm informent corpora humana, in ſemine ac genitali humore maſculini ſexus contineri dixiſſent.* Nam Creatorem Deum *negantes, aut potius neſcientes, cogerentur certè fateri:* τῷ σπερματικῷ λόγῳ *ſimul animam humanam, & corpus ipſius naſci, & non* θύραθεν *introduci, ſed educi animam humanam de potentia materiæ.* Reſpectu *igitur naturæ opificis* (*excepta anima humana*) *omnia ſunt* πλαστόν *quiddam, anima autem humana, quia mente prædita*

*& Angelica, opificem creatorem ſolum* Deum *obtinet, ut quæ propagatione ſeminis generari nullò modo potuerit, cùm reſpectu naturæ ſit* προγενὲς *quiddam,* ὁ Νοῦς *prius autem* φύσει *à poſteriore* τῇ φύσει *non poßit generari, ſed ab alio priore creari ipſum oportet.* Hactenus *demonſtratũ à nobis eſt, plaſticam ſeminis facultatem in efficientib. cauſis, eſſe inſtrumentalem, eamq;, non ut* τόδε τι, *ſeparabile quiddam eſſe, ſed ut* λόγον, *& animati corporis quaſi actũ ſecundum, alterius actus primi, & animati corporis* ποιητικὸν *eſſe, nec non etiam de anima humana, quòd reſpectu plaſticæ huius facultatis non ſit* πλαστόν *quiddam, diſſeruimus.* Sequente *deinceps libro, de materia ſeu ſubiecto, & modo motionis formationisq; ſententiam* Ariſtotelis *&* Galeni, Deo *adiuuante, explicabimus.*

# IACOBI SCHEGKII SCHORENDORFFENSIS DE PLASTICA Seminis facultate Liber ſecundus.

COnſultò *me abſtinui hactenus à reprehendendis multorum erroribus, qui de hac formatrice animatorum corporum cauſa non rectè ſenſerunt.* Quid Stoici *ſenſerint de continente ſua cauſa, &* Omnipotente *igne illo ad gignendum progrediente uia &* λόγῳ, *quodam in libro, de cauſa hac inſcripto, à nobis, ſatis ſuperque eſt diſputatum.* Auerrois *de* Vnitate *mentis humanæ alieniſsima ſententia eſt, ab* Ariſtotelis *&* Platonis *placitis abhorrẽs, quam cum alijs erratis in præſentia non refellendam eſſe duximus.* De *plaſtica autem facultate, quæ ſuper ſunt, exe-*

qui

*qui nunc uolumus. Nam ſi quæ ſunt uera, & conſentanea, intelligat quiſpiam: facilè ipſe per ſe quomodo refellenda ſint falſa, aſſequetur. Seminis λόγος, ut dictum eſt, inſtrumentalis exiſtit, & efficiens cauſa animati, apparatu & perfectione organici corporis.* Proinde πλαστικὸς λόγος, *tametſi informatione ſua, non conſtituat ut* μορφὴ, *quoddã* τόδε τι, *quum ſeparatum aut ſeparabile quiddam à materia informanda, ſeu animanda non ſit, nihilominus non prorſus incorporeum quiddam eſt, ut* λόγος *eſt* Mentis, *ſed* Corpore *diuino quodam præditum, proportione reſpondens cœleſti, efficax eſt ad generandum corpus animatum, ut materia ſcilicet genitalis capax ſit ſua* δυνάμει, *omnium quorum actu ſuo* λόγος *ſpermaticus cauſa eſſe poſſit, qualem actum plaſticum* Ariſtoteles comparat Arti, *ſine materia ſcilicet* λόγος *quidam* ποιητικὸς *exiſtens, & quæ efficiens ſit tamen* τοῦ λόγου ἐνύλου *cuiusdam, ut* Sanitas *artis,* λόγος ἄϋλος, *ſanitatis eius quæ corpori ineſt, cauſa exiſtit. Ita quoq;* λόγος *ſpermaticus cordis, aut cerebri, aut uentriculi, partiũ deniq; omnium organicarum* ἀνομοιομερῶν & ὁμοιομερῶν ἀύλους *ſpecies* Πλαστικὸς λόγος *in ſe continet, hac tamen ui ut in ſua materia poßit eas efficere* ἐνύλους, Sed *technicus* λόγος *differt à ſpermatico, quòd ille, ut* Accidens, *efficiens eſt cuiusdam* Accidentis, *hic uerò, ut* οὐσία *quædam efficiens eſt* οὐσίας. Et *ille, extra materiam, hic uero intra rem ſeu materiam formabilem exiſtens, efficax eſt ad mouendum.* Hanc *differentiam* Ariſtoteles *libro ſecundo* de Generat: Animalium *his expreßit uerbis.* Ἡ γὰρ τέχνη, ἀρχὴ, καὶ τὸ εἶδος, τοῦ γινομένου, ἀλλ' ἐν ἑτέρῳ. ἡ δὲ τῆς φύσεως κίνησις, ἐν αὐτῷ, ἀφ' ἑτέρας οὖσα φύσεως τῆς ἐχούσης τὸ εἶδος ἐνεργείᾳ. *Phyſica motionis principia etſi in ipſis*

*inſunt mobilibus rebus, his tamen, ſeipſis primo non ſunt mobiles, ſed extra aliquid eſſe oportet primum mouens: ut Ariſtot: docet libro ſeptimo Phyſicorũ à principio. Simili modo plaſtica facultas ſeu λόγ⊛ ἀνδρ... ut φύσις quædam in alio, & non ipſa per ſe ἰδιάζει quoddam exiſtens, ab alio habet, uel accipit ſuæ motionis principium, quod primi mouentis, & non inſtrumentalis habeat rationem, nempe ab animato alio quodam corpore. Omnia autem, quæ generant animatas οὐσίας atque etiam non animatas, ut ſunt metalla, aut perfecti fructus ſtirpium, animata eſſe oportet. Vt communiſſima omnium οὐσιῶν cauſa, eſt cœlum, quod ἔμψυχον eſt corpus, & caduca animata hæc, quæ differunt, ut ſtirpes, & animalia. Vt enim Mens prior φύσει eſt anima, ſic anima φύσει præſtat naturæ, cùm ut Plato inquit in Cratylo, ψυχὴ, dicatur propter etymō atq; ſi diceretur, φυσέχη, tanquam continens naturã, temperatione cœleſti, quomodo uigor, ſeminum atq; ſtirpium excitetur, uulgò notum eſt. At cœlum animatum eſſe apud Philoſophos nullam habet dubitationem. Ratione demōſtrari, non ſenſu percipi, præcedente libro oſtendimus, λόγον, eſſe principium omnium & generatarum rerum, & propriorum παθῶν, atq; accidentium, quæcunq; rebus naturalibus inſunt. Nam ſi humana Mens animam informare poteſt multis & admirandis λόγοις νοητοῖς, quibus artifices tam inſignia & eximia opificia præſtant, quidni diuina mens potuerit etiam ſeminibus rerum animatarum naturales λόγους conferre ut ijs naſcerentur quæ magis admirari quàm uerbis explicare poſſumus, una animæ entelechia quàm multa uitæ inſtrumenta continentur, quales & quàm multæ operationes exercentur. Et tamen tales non eſſe ob id non dicimus, quia ſenſu nullo percipiãtur?*

ſenſus

*ſenſus equidem noſtri non cauſas, ſed duntaxat effectus rerum percipiunt. Afficiunt etiam ſenſus noſtros* ἐνύλα εἴδη *ſed per energeias ſuas, & medijs quibusdam corporibus ſpecies ſenſiles quodammodo* ἀΰλως *uideantur ineſſe. Tantillum per foramen aſpectabilis ſpecies ingreditur, & quia* λόγος *eſt, in cauſa eſt, ut tam ingentia corpora et uaſtas magnitudines ſecundo illo actu uideamus. Tantillum ſemen eſt, & tamen* λόγος πλαστικὸς *in ipſo tantam uim habet, ut tam admirandæ ſtirpes & Animalia generentur. Sed de his dictum ſatis ſuperq; in primo libro. His quomodo generetur & formetur corpus animatum conſiderandum deinceps. Sua & propria materia eſt cuiusq; effectus Naturalis. At ſeminis* πλαστικὸς λόγος *ſimul efficit organicas & ſimilares corporis animati partes. Terminatur enim motio & efficientia ipſius totius generatione. Totum autem (ut uerbi gratia, Homo) conſtituitur ex capite, brachijs, pectore, & reliquis. Hæ partes, ſimilaribus conſtituuntur. Genitalis materia eſt certo temperamēto conſtituta, ex quatuor elementorum mixtura. Reſpondent autem materiæ formandæ partes ſua* δυνάμει, *quot fuerint ſcilicet* τοῦ λόγου *efformantis, & efficientis* ἐνεργητικαὶ δυνάμεις. *Nam quale eſt patiens materia, potentia ſua, tale eſt efficiens, actu & energeia ſua. Actum autem efficientis aliquid, diſtinguimus in actum primū & ſecundum. Vt primum actum, animatum eſſe conſtat corpus. Secundum uero actum, ſeminis* πλαστικὸν λόγον *eſſe manifeſtum eſt, qui quodammodo ſit* ἀΰλως, *quod materia fieri* ἐνύλως *dicitur. Nam motus qui intercedit inter efficiens & patiens, unus idemq; numero eſt, ſed nihilominus, Eſſe ipſius duplex eſt. Reſpectu enim efficientis, dicitur energeia & perfectio eſſe & ſimpliciter* λόγος, *ſed reſpe-*

*ctu patientis, ut pathos quoddam, & in aliquo, nempe ἔνυ-λος λόγος eſſe dicitur* Energeia Agentis, & *potentia patientis, inſeparabiliter in motu ſunt coniuncta, ut quod agẽs eſt ratione* Actus *ſecundi, idipſum ſimpliciter* δυνάμει *dicatur eſſe patiens, qua fieri idipſum dicitur, quod ratione* Agentis *eſſe dicitur. Sunt deinde quidam* Actus *ſecundi, qui ſine motu perficiunt ſubiectum ſuum, ut Senſilium ſecundi actus afficiunt ſenſus noſtros ſine motu. Sed cum motu & alteratione* πλαστικοὶ λόγοι *ſuam mouent & alterant materiam, qui & ipſi ſunt* Actus *ſecundi, nempe* ψυχικαὶ ἀρχαὶ, *ſed ſubſtantiales tamen* λόγοι *ſunt, actus illi ſecũdi, quum ſubſtantiam in ſubiecto, uidelicet* Animam *producãt.* Actus *enim ſecundus* Accidentis, *ſubſtantiam producere nequit, ut calor, tanquam primus actus, à ſe producit* θερμαίνειν, *ut actum ſecundum, quo ſecundo neceſſe eſt etiam in patiente ſubiecto, accidens caloris produci. Nam mediante actu ſecundo, calor, aut* κατ' ἐντελέχειαν *calefaciens calorem producit, ut* Homo *etiam hominem mediante ſecundo actu, quem hactenus* τῷ σπερματικῷ λόγῳ *deſcribimus, producit, quo, cùm ſubſtantia conſtituatur, ipſe* λόγος Accidens *eſſe nequit. Is nimirum eſt, qui ex non capite facit caput, & ex non cerebro, cerebrum, & ex non corde, cor, & ex non carne, neruis, & oſſibus, efficit carnes, neruos, & oſſa. Sola enim plaſtica facultas, ex non ſubſtantia generat ſubſtantiam,* ἀπ' ἀρχῆς, πρὸς ἀρχὴν *procedens. Actus enim ſecundus, ut* πλαστικὸς λόγος, *principium principio connectit, qua ratione animatum, animati dicitur principium, et ſubſtantia, ſubſtantiæ.* Accidens *autem, etiã à non* Accidente *poteſt produci, ut temperamenta, & qualitates, à cœleſti corpore, quin etiam* Πλαστικὸς λόγος *in materia ſua, qua generantur ſimilares partes, producit ſingu-*

*larum*

*larum partium temperamenta, & ſecundas qualitates, ſine quibus Organicum corpus Anima informari nequit, qui tamen λόγος temperamento non ſit prædıtus. Sed de alteratione hac & temperatione quæritur quæ ſit cauſa ipſius efficiens. Etenim λόγος quatenus eſt λόγος σπερματικός, producit ſubſtantiam Animati corporis, nempe Animam in corpore. Vim autem ad alterandam temperamentis materiam, ſeu partes πνεύματος ſimulares, ei λόγῳ dicimus ineſſe, propter corpus illud proportione quinto, ſeu cœleſti Elemento reſpondens. Corporis enim proprium eſt, ut alteret, uel tanquam ὁμοειδές exiſtens, uel κατ' ἐντελέχειαν, nempe propter perfectionem formæ ſuæ, pro eo ut cœleſtia corpora dicuntur alterare, & corpus etiam illud Animæ, τῷ ἄνω στοιχείῳ ἀνάλογον, alterationis inſtrumentum exiſtit partium τοῦ πνεύματος. Nam ut genitales λόγοι cœleſtiū producunt per ſe οὐσίας rerum naturalium, & materiā naſcentium corporibus ſuis temperant & miſcent, ita quoque Analogum illud Animæ corpus, tanquam inſtrumentum τοῦ λόγου σπερματικοῦ ad temperandam materiam animati corporis efficax eſt. Vt cordis efficiens λόγος σπερματικός, corpore ſuo cœleſti materiam cordis temperabit, ut informari μορφῇ ſua Animata poſſit. Idem ſentiendum de cæteris Animati partibus ſimilaribus, quibus omnibus neceſſe eſt ut quodam temperamento generentur, alijs Accidentibus efficiendis ſine alteratione. Πλαστικὸς λόγος ſui corporis inſtrumento, ſufficit; qualia ſunt organica accidentia phyſicis nota. Etenim σωματικὴ ἐνέργεια non poteſt ab incorporeo ſimpliciter præſtari & exerceri, ſine corpore quodam medio. Quare, τῷ λόγῳ πλαστικῷ ex neceßitate famulabitur illud Animatorum proprium corpus ut inſtrumentum operationis, & effectionis plaſticæ, quod θερμόν*

*ψυχικόν, θεῖον quoddam στοιχεῖον exiſtens, appellari ſupra oſtendimus. Quinetiam præcedente libro quid diſcrepent ἀσώματος, & ἐνσώματος, ſeu σωματικὸς λόγος, expoſitum fuit.* Πάσης μὲν οὖν *(inquit Ariſtoteles)* ψυχῆς δύναμις ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι, καὶ θειοτέρου, τῶν καλουμένων στοιχείων. *Itaq; λόγοι πλαστικοὶ ſunt ἀρχαὶ harũ alterationum, & conformationum, ſed non ſine corpore illo, tanquam omnis Efficientiæ inſtrumento. Hoc enim diſcrimine Mentis, & Naturæ λόγος inter ſe differũt. Quod ſi λόγος efficiens eſt formæ inſtrumento huius corporis, ſequitur, ut etiam efficiens ſit temperaturæ, cùm forma ſubſtantialis ſine ſua temperatura eſſe nequeat. Qualitates autem ſunt in materia conceptus, & primæ, cauſa ſunt ſecundarum Qualitatum. At λόγος σπερματικὸς, cum ſuo corpore (quod nonnulli appellant θερμὸν ἔμψυχον) temperat pro natura formarum, materiam naſcentium partium. Eſt ἐνεργητικὴ δύναμις hæc, & ut cœleſtia corpora ex elementis concreta temperant, ſic etiam λόγος σπερματικὸς formandorum organorum temperaturas conſtituit παθητικάς, & ποιητικάς, quæ ſuapte natura alioqui ſunt indefinitæ. Vt ignis efficientia indefinita quidem eſt, ſed quoad τῷ λόγῳ Artis regitur, definitam quandam ſpeciem conſtituit. Simili modo, carnis materia indefinitis qualitatib. eſt prædita, ſed ποιητικῷ λόγῳ definitur temperatura, ut ex ea caro generetur. Nõ autem ſeparatim generantur ὁμοιομερῆ, & poſterius ἀνομοιομερῆ, ſed ſimul. Non enim eſt caro, niſi pars ſit organici corporis, nec anima informat, niſi organicum corpus & ἀνομοιομερὲς corpus animatum ſit. Sed non ſimul tamen omnes partes perficiuntur. Nam prius perficiuntur organa Vegetationis, deinde ſenſus & motus organa, poſtremò ſpecies perfecti animalis, quæ*

*lis, qua hominis, aut Equi proprias energειας præſtarē poſſit. Simul autem* ὁμοιομερῆ, *&* ὀργανικὰ *generari, teſtis eſt Ariſtoteles, quando ad hunc modum ſcribit,* ἅμα δὲ τὰ ὁμοιομερῆ γίνεται, καὶ τὰ ὀργανικά. *Deinde docet produci eſſentiam Carnis,* κινήσει, *nempe,* ἐνεργείᾳ τοῦ λόγου σπερματικοῦ, *cuius energειæ cauſa ſit, actu animatum corpus. Et quod actu ſit,* λόγος ποιητικὸς *ipſe, & energεια quædam efficientis, ipſa, id omne, ſed* δυνάμει, *eſſe materiam conceptus, ex qua generetur animatum. Accidentium uerò differētias, quibus pati aliquid poßint ſimilares ſubſtantiæ, ut ſunt durum, aut molle eſſe, flexibile, aut inflexibile, diuiduum in fibras eſſe, aut fibris carere, temperamento primarum qualitatum efficiuntur, alterationes has gubernante plaſtico Logo. Seipſo igitur* πλαστικὸς λόγος οὐσίαν *animati corporis: ſed ſimilarium partium ſecundas illas patibiles qualitates (quibus pati, aut non pati poſſunt motum quendam, aut* πάθος*) efficit mediantibus quaſi inſtrumentis duarum primarum actiuarū, & duarū primarum paßiuarum qualitatum, de quibus modò ſatis ſuperq; dictum. Motus porrò & efficientia plaſticæ facultatis tum demum terminantur, quando ſimilares, unà cum organicis partibus perfectæ fuerint. Simul enim formantur omnes, ſed non ſimul omnes perficiuntur. Perfici autem dicuntur, aut pro perfectis tum habentur organicæ partes, quando propter accidentia quædam commodè iis uti poteſt anima ad operationes ſuas, ut inſtrumentis prioribus, ad uegetandum & nutriendum corpus. poſterioribus autem ad ſenſum, & ad motum præſtandum. Mentis autem humanæ nō eſſe* σωματικὴν ἐνέργειαν, *aut inſtrumentum quoddam corporeum, iam antea diximus.* ὥστε *(inquit Ariſtoteles)* παυομένης τῆς κινήσεως γίνεσθαι ἕκαστον τῶν μορίων, καὶ ἔμψυχον.

Ariſtot. lib. 2. De Genera. Animal.

οὐ γάρ ἐστι πρόσωπον, μὴ ἔχον ψυχήν, οὐδὲ σάρξ. Quin etiam Hippo: in libro de Carne, ſcribit omnium humani corporis partium quaſi lineamēta et σκιαγραφίαν in ſeptimo à conceptu die apparere, quæ poſterioribus temporibus perficiantur, ut ratione δυνάμεως fiant ἔμψυχα & animentur. Hippocratis hæc ſunt uerba. ὁ δὲ αἰὼν ἐστὶ τοῦ ἀνθρώπου ἑπταήμερος. Πρῶτον μὲν ἐπὴν ἐς τὰς μήτρας ἔλθῃ ὁ γόνος, ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσι ἔχει ὁκόσαπερ ἐστὶν ἔχειν τοῦ σώματος. τοῦτο δέ τις ἂν θαυμάζοι, ὅκως ἐγὼ οἶδα. Πολλὰ δὲ εἶδον τρόπῳ τοιῷδε. Αἱ ἑταῖραι αἱ δημόσιαι αἵτινες αὐτέων πεπείρηνται, πολλάκις ὁπόταν παρὰ ἄνδρα ἔλθῃ, γινώσκουσιν ὁπόταν λάβωσιν ἐν γαστρί. κἄπειτ' ἐνδιαφθείρουσιν. ἐπειδὰν δὲ ἤδη διαφθαρῇ, ἐκπίπτει ὥσπερ Σάρξ, ταύτην τὴν Σάρκα ἐς ὕδωρ ἐμβαλὼν σκεπτόμενος ἐν τῷ ὕδατι, εὑρήσεις ἔχειν πάντα μέλεα, καὶ τῶν ὀφθαλμῶν τὰς χώρας, καὶ τὰ οὔατα, καὶ τὰ γυῖα, καὶ τῶν χειρῶν οἱ δάκτυλοι, καὶ τὰ σκέλεα, καὶ οἱ πόδες, καὶ οἱ δάκτυλοι τῶν ποδῶν, καὶ τὸ αἰδοῖον, καὶ τὸ ἄλλο πᾶν σῶμα δῆλον. Plaſticæ ποιήσεως Hippo: σκιαγραφίαν depinxit his uerbis inchoati Embrionis, ſed nondum perfecti, ut animari poſsit. Tamdiu autem durat plaſtica energeıa formationis uſq; dum organicum corpus δυνάμει ſua animæ actus & uitæ fit particeps. Simul enim ſunt ultima materia, & forma, quibus animatum conſtituitur corpus. Quoadduero ſimilares, & organicæ partes, ἔμψυχον quiddam non ſunt, non niſi æquiuocè id nominis habent, quod alioqui animatis ipſis tribuitur, ut uenis, arterijs, carni, neruis, cordi, cerebro, hepati, quæ partim ex materia genitali, partim ex ſanguine materno generantur, & plaſticæ energeıæ ſeu ποιήσεως ſunt effectus imperfectus, & imperfecta ſubſtantia, quòd uidelicet animationis reſpectu adhuc δυνάμει dicatur eſſe, per ſe autem inanimatū quiddam exi-

*dam exiſtens, ſuam eſſentiam elemẽtorum* συμφύσει *tranſcribit, quam* σύμφυσιν *abolita quoq; anima, retinent, ut in his etiã aliud ſit craſis, & aliud forma, eſſentiam partiũ ſimilariũ* συμφύσει *cõſtituens, de quo dictũ à nobis aliâs fuit.* Σύμφυτον *corpus igitur naturale, aut præcedit* ἔμψυχον, *ut in generatione animalis, aut ſequitur, ut poſt interẽptũ animal, partes ſimilares quæ ſuperſunt, nullum enim eſt organica ſubſtantia præditum, niſi animatum ſit. Similares autem generantur, ut diximus, ex materia, aut ſpermatica, aut ſanguinea, abolita priore forma & nouæ, ſolidioris corporis formæ acquiſitione. Eodem modo ex organico, tanquã ultima materia, corpore, non fit animatum corpus, ut perempta prioris eſſentiæ forma, generetur noua, ſed priuatio materiæ ultimæ, quæ ineſt ipſi, reſpectu naſcentis formæ, permutatur contrario habitu dumtaxat materiam ultimã perficiente, & nihil quod prius erat perimente, actu ſcilicet formæ naſcẽtis complente potentiam materiæ, quæ perfectio nihil aliud ſit, quam informatio animæ, quandoquidem ex neceßitate ſimul ſunt, & non ſunt, ultima materia cum ſua forma, quib. animal conſtituitur. Ex quo perſpicitur diſcrimẽ horum, ut aliud ſit, ſi dicamus, ex ſemine, & ſanguine, naſci ſimilaria, & aliud, ſi dicamus, ex anima & corpore organico, generari animal. Quoniam, ut Ariſtot: ſcribit lib:* ἐλάττονι ά. διχῶς γίγνεται τόδε, ἐκ τοῦδε. ὡς τόδε, λέγεται τόδε, μετὰ τόδε, οἷον ἐξ ἰσθμίων, ὀλύμπια, ἢ ἐκ παιδὸς, ἀνὴρ μεταβάλλοντος, ἢ ἐξ ὕδατος, ἀήρ. ὡς μὲν οὖν ἐκ παιδὸς ἄνδρα γίγνεσθαι φαμὲν, ὡς ἐκ τοῦ γιγνομένου τό γεγονός, ἢ ἐκ τοῦ ἐπιτελουμένου τὸ τετελεσμένον. ἀεί γαρ ἐστι μεταξύ τι, ὥσπερ τοῦ εἶναι, καὶ μὴ εἶναι, γένεσις. οὕτως καὶ τό γιγνόμενον, τοῦ ὄντος, καὶ μή ὄντος. Ἐστὶ δ᾽ ὁ μανθάνων, γιγνόμενος ἐπιστήμων, καὶ τοῦτ᾽ ἐστὶν ὃ λέγεται, ὅτι γίγνεται ἐκ

μανθάνοντος ἐπιστήμων. τὸδ᾽ ὡς ἐξ Ἀέρος, ὕδωρ, φθειρομένου θατέρου. Quamobrem animal ſi generetur, nulla præcedens οὐσία corrūpitur, ſed dumtaxat priuatio ipſius materiæ cõpletur, qua ſc. ex non animali, fiat animal. At tum demum actu animæ perficitur potẽtia materiæ organicæ, ſi deſinat ſcil. motus & energeia plaſticæ facultatis. Quæ ſi permutata fuerit animæ eſſentia, tum demum anima ipſa ſimilares & nutriri, & adoleſcere incipiunt. Propriũ enim illud eſt animati corporis, ut uegetetur & adoleſcat. Quocirca nondum animatũ, impoßibile eſt nutriri ipſum, & adoleſcere, ut ſi plaſtica generatio nondum fuerit finita, ut non animatũ corpus erit, ita tempore illo nec uegetabitur, nec adoleſcet. Nonnulli autẽ ſunt, qui dicunt, & ſentiunt, prius uegetatrice anima, quàm ſentiente & mouente informari corpus organicum animalis, quod quàm abſurdũ dictu ſit, iam nunc demonſtrabimus. Conſtat animã, ut incorporeã ſpeciem ſeu ἐντελέχειαν nullis partib. eſſe diuiduã, & quiddam eſſe ὅλως ὅλον, pro eo ut omnis ſit forma ſubſtantialis. Cùm enim expers ſit materiæ, & ſit principiũ, compoſitũ quiddã ex neceßitate nõ erit, alioqui enim, forma, & principiũ non eſſet, ut docet Ariſtot: lib. θ. Metaphyſi: in fine libri. Quamobrem animæ δυνάμεις ſimul omnes in corpore organico inſunt, prius enim, & poſterius Ariſtoteles, id eſt, τάξιν, negat eſſe in eſſentia formæ ſubſtantialis. Quo modo enim poſterior, ut ſentiẽs, priori, ut uegetatrici ineſſet animæ? Nam ſi ut perficiens, ineſt perfecto, ut materia ſc. & forma una compoſitione conſtituetur anima, Aut plures in eodem inerunt animæ, ut Vegetatrice alia informentur organa, & ſentiente alia, & item mouente alia, quib. omnibus ne fingi quidem abſurdius aliquid poterit. Nam ut poſteriore eſſentia anima prior aboleatur fieri haud poteſt, cùm

teſt, cùm

*teſt, cùm poſterior, ſine priore nullo modo eſſe poßit. Quã obrem ſi* Vegetatrice *informetur corpus organicum, ſimul reliquis omnibus* δυνάμεσι *ipſum oportebit informari. nec temporibus, aut ſubiectis diuerſis potentiæ animæ ipſius diuiduæ erunt.* Veruntamen *propter organorũ temporibus diſcrepantem uſum, & eorundem imperfectam habitibus temperamentorum qualitatem, prius aliquid* Vegetatrice *anima uiuere dicimus, deinde, ſentiente anima, & motrice, energeias quaſdam poſterius præſtari, ut animalis, poſtremò omniũ, energias quaſdam ipſius ſpeciei proprias, poſſe præſtari, quo ipſum undiquaq; animal perfectũ eſſe declaratur, ut quæ ſunt* Equi *aut* Hominis *propria, aut nunc, quod natum eſt, aut progreſſu temporis ſi operari, aut præſtare officia poßit.* Itaq; *diuerſis temporibus ut* δυνάμεις *animæ, corporis organa non informent, ſed ſimul omnes, omnia, nihilominus propter horum uſum, & energeian, quæ ſequitur perfectionem & imperfectionem accidentalem organorum, prius animatum corpus, quàm animal, & prius animal, quàm hominem, uel equum naſci dicimus.* Prius *enim* τὰ θρεπτικὰ *quàm* αἰσθητικὰ *ſeu* κινητικὰ *perficiuntur, quamuis ratione eſſentiæ ſimul generentur, quemadmodum etiam* δυνάμεις *animæ ſimul omnes organicum corpus informant.* Tum *autem unumquodq; perfectum dicitur & ſimpliciter eſſe, ſi præſtare ſuam energeiã poßit, ut animal, uel homo, uel equus.* Sed *anima tamen dicitur eſſe, atq; etiam ineſſe, etiamſi non principalibus organis, ut cerebro, & corde, cæteris organis ſuam energeiã præſtare nequeant.* Vt *quamuis captum ſit oculis animal aut obſurduerit, aut paralyſi ſit reſolutum, nihilominus* δυνάμεις *horum organorum ſubſtantiales anima non amittit, ac nihilominus* δυνάμει αἰσθητικῇ, *cerebrum informatum*

*eſſe, quamuis neq; oculorum neq; auditus ſenſu præditum ſit eſſe dicatur. Et ut ſimul uegetatrix, & ſentiens* δυνάμεις*, ſint in cerebro, quoad ſubſtantiam ipſius conſtituunt, non ob id tamen eodem tempore, quo animatum aliquid eſt, ſimul animal etiam, & quo animal, homo etiã appellandum erit, ſi perfectionem organorũ conſideres.* Nam *animæ* δυνάμεις *ſubſtantiales, ſeu eſſentiales reſpectu organici corporis, omnes ſimul eſſe, paulò ante probatum fuit.* At *reſpectu animati corporis, non ſimul actu quoq; animal, &* Equus *&* Homo, *dicitur eſſe. Omnibus enim potentijs inſtrumentorum perfectis, in utero* Materno, *nihil utiq; perficiendum reſtaret, poſtq; informationem animæ, ſtatim in lucem, perfectus omnibus modis fœtus ederetur.* Q*uamobrem corpore organico informato, nihilominus perficiendum aliquid adhuc ſupereſt, incremento fœtus, ut omnibus numeris ſit perfectum animal.* Neq; *unus modus eſt tantũ uel potẽtiæ, uel actus, rerum aliquo modo perfectarum, & perficiendarum.* Vt *alio modo contemplari poſſe dicitur, qui præditus eſt habitu ſcientiæ, & qui didicit, & alio modo, qui docendus adhuc, rudis & imperitus exiſtit.* Vna, *propinqua, & altera, remota uulgò appellatur potentia. Simili modo,* Animatum, *potentiæ ſuæ ratione,* Homo, *uel* Equus *eſſe dicitur, & alio modo, eſſe animal.* Completur *potentia hæc actu ſeu habitu quodam perfectionis inſtrumentorum ſeu organorum, ſine qua* δυνάμεις *animæ ſuas energ*ε*ιας nequeunt præſtare.* Perficitur *autem potentia hæc actu ſuo in utero* Materno, *energ*ε*ια animæ uegetatricis, ut anima uegetatrix & cerebrum, & organa motus, & ſenſus ita perficit, ut* Embryo *præſtare etiam* Animalis *energ*ε*ιας ſentiendo, & ſe mouendo poßit.* Illo *autem mediante habitu, alio quodam & ultimo*

Ariſt. lib: 2. de Anima.

*ultimo habitu* Animal *perficitur, ut eo præſtare poßit operationes & energias ſpeciei proprias, nempe uel* Hominis, *uel* Equi, *quo actu perfectus fœtus tandem dicitur in lucem, et reſpectu etiam acquiſitorum habituum, potentia aliquid eſſe dicuntur, ut* Homo, δυνάμει *grammaticus, & habitus etiam, reſpectu* θεωρίας, *ut actus ultimi, rationem potentiæ obtinet.* Et *hoc modo actus, & potentias, in formatione fœtus, diſtinguimus reſpectu perfectorum aut imperfectorum ſuis proprijs habitibus organorum, nõ quòd gradus illi ſint in* ȣσίᾳ *animæ, uel anima eorum corporum, quum* ȣσία *ut diximus expers ſit* τάξεως, *& quod uidelicet partibus non ſit diuidua, ut anima non eſt reſpectu ſuarum potentiarum, quibus organicum corpus informatur.* Actus *& perfectio poſterior fœtus in potentia uegetatricis* Animæ *otioſæ: & dormienti ſimilis ineſſe uidetur, propter gradus habituum inſtrumentalium, quorum habituum potentiæ complentur, ut dixi ſupra, energia & operatione uegetatricis, ut hac ratione potius* τόδε μετὰ τόδε, *quàm* τόδε, ἐκ τȣ̃δε *generari & naſci dicatur poſterius, cum poſterius nõ perimat, ſed perficiat id quod prius fuit.* Idem *reſpectu ſui ipſius multifariam actu, & potentia, diſtinguitur.* Vt *uerbi gratia,* Geometram, *dormientem aliquem dicimus eſſe, & propterea etiam uigilantem, & poſtremò, actu contemplantem quidpiam, ut quod ratione poſterioris, actu, id, ratione prioris, potentia eſſe dicatur, cauſa quadam exiſtente, quæ potentiam hanc deducat ad actum.* Et *poſterioris quidem actus ratione, dormiens, propius abeſt à uigilante, quàm à contemplante* Geometra. Ita *enim lib:* 2. *de* Generatione *animalium legendum cenſeo,* ὥσπερ ὁ καθεύδων Γεωμέτρης τȣ̃ ἐγρηγορότ<sup></sup>ος ἐγγυτέρω (*et* nõ, πορρωτέρω) καὶ ȣ̃τος τȣ̃ θεωρȣ̃ντος. Sed καθεύδων, τȣ̃ θεωρȣ̃ν-

*τος, ποῤῥοτέρω, quod ſupplendum eſt.* Accommodando *ad inſtitutum noſtrum, dicimus, ſentiens, à ſeipſo non ſentiente, propius abeſſe, ut* Animal, *ab* Animato, *quàm reſpectu animati à ſeipſo non intelligente, abſit intelligens.* Prius enim potentia animalis, in animato, quàm potentia *intelligentis perficitur in generatione* Hominis, *ut ſubſtantia* Animati *non ſit alia quàm prius fuerit, gradibus duntaxat his perfectionis à ſeipſa differens, quos gradus perfectioni inſtrumentorum adſcribimus, non diſcrepantibus generatarum rerum ſeu* Animarum *ſubſtantijs.* His quæ *diximus, manifeſtum eſt, deſinente motu* Plaſtico*; ratione* οὐσίας Animæ, *&* corporis *organici, omnia ſimul naſci, ſed reſpectu perfectionis generatorum organorum unum prius, & aliud poſterius fieri, ut prius ſcilicet* Animatum, *quàm animal, et* Animal *prius, quàm* Hominem, *eſſe contingat, ut in generatione* Animalia, *ſimul facta, & perfecta omnia nequeant eſſe, & ut ſeipſum quidem perficere aliquid poßit, nihil tamẽ ſeipſum facere, aut generare poterit.* Principatus Vegetationis *eſt in* Venis *ſeu iocinore, & in* Corde. Principatus *autem ſentiendi & mouendi, eſt in* Cerebro. *Officina & facultate uegetationis, inſtrumenta ſenſus & motus perficiuntur, ſed non generantur, cùm generatio ad* Plaſticam *δυνάμιν* pertineat, *qua cerebri quoq; ſubſtantia conſtituitur ſimul cum reliquis organis omnibus.* De modo Generationis Animalis, *multa apud Ariſtotelem in dubium uocãtur, quæ paucis & ſtrictim in præſentia uolo commemorare. Efficientem ſeminis cauſam, corpus quoddam animatum eſſe, iam antea eſt probatum.* De *ſemine autem dubitatur, utrum ſit* Anima *ipſa, an quiddam animatum, an uerò quoddam animæ expers corpus generans & efficiens ipſum? Quòd ſi ſit expers*

Ratione Animæ informãtis omnes partes organicæ ſimul eſſe ſeu naſci dicuntur, ſed non ſimul omnes potentijs naturalibus ſunt perfectæ, ſed gradatim perficiuntur.

Plaſtica facultas non ſimul cum Vegetatrice Anima, reliquas potentias Animæ producit.

*anima*

*anima haud poterit animati corporis eſſe principium. Neq; etiam anima erit, quum anima non poßit eſſe niſi in corpore organico, cuius ipſa* ἐντελέχεια *exiſtit. Sed ſperma non eſſe corpus organicum, ipſum per ſe eſt manifeſtum. Quinetiam animatum eſt corpus nequaquam, aut pars animati corporis, ſiquidem ſperma non ſit animatum & organicum corpus, ſed* περίττωμα *ſeu materia animati corporis, aut efficiens ipſius. Vniuerſum autem corpus, ſimulq; ipſius partes omnes, potẽtia animæ uegetatrice informantur, cuius principatus eſt in corde, quo generato, animatum iam totum corpus uegetatrice anima uiuere dicatur. Tum quoq; cerebrum nutricante anima informatum, & uegetatur, & nutritur, informatione etiam ſentientis animæ, quam ſimul eſſe, cum organo ſuo ſupra probatum fuit. Quàmprimùm enim omnia organa uegetatricis animæ ſunt plaſtica facultate efformata, ſimul etiam ſentientis animæ organa facta eſſe ſtatuimus, ſi quidem (ut ſupra oſtendimus) ſimilares ſine organicis animata dici nequeunt. Sed quod ad organicas pertinet partes, quædam prius, quædam poſterius dicuntur eſſe, perfectione, non autem effectione. Nam quod deeſt perfectioni ſubſtantiæ organorum, id non plaſtica facultas ſeminis, ſed uegetatrix anima in omnibus partibus exiſtens, perficit, & complet. Differunt enim,* τόδε *fieri ſi dicas,* ἐκ τοῦδε, & *quando dixeris,* τόδε, μετὰ τόδε, *non ſimpliciter fieri, ſed perfici, ut quod prius fuit, non perimatur, ut ſi poſt animatum, fieri dicas animal, propter* ἕξιν *inſtrumenti, non quia noua ſubſtantia generetur quæ prius non fuerit, duntaxat Animato exiſtente corpore. Quinetiam, ut ſimul informentur omnes partes uegetatrice anima, nihilominus ſunt alia* γενέσει *priora ratione imperfectionis, ſed non* οὐσίας, *organa, & poſteriora alia, quæ*

*Quando* κύημα *uegetatrice anima dicendum ſit informari.*

*tamen φύσει ſint priora, ut uenæ & arteriæ totius corporis prius formantur, poſterius cor perficitur, poſt ſpermaticas partes, carniformis perficitur ſubſtantia, etiam cerebrum, poſt neruos perficitur, ultimum geneſei & animalis perfectione primũ, ut cor, poſt uenas et arterias generatur, quo generato plaſtica efformatio deſinit, & ſimul omnes cum corde partes animatæ incipiunt eſſe.* Priora autem πλαστά, *hoc loco dicimus, ſine quibus poſteriora eſſe nequeunt, (quoniam ut* Ariſto: *inquit,* ὕστερον γίνεται τὸ τέλος) *quorum reſpectu ordinis, non tantum cauſa materiæ,* τόδε, ἐκ τοῦδε, *ſed etiam ratione ordinis,* τόδε, μετὰ τόδε *generari dicitur, quo motionis ordinem* Ariſto: *comparat* τῶν αὐτομάτων *ordinatis motionibus, quibus non omnia ſimul uno ſitus principio exiſtente, moueri dicuntur.* An autem ἀποσπέρματα, & κυήματα, *prorſus inanimata ſint, quæritur? Nam quòd ex illis animatum generetur corpus, manifeſtum eſt.* Hoc loco uocabulum *Seminis ſeu ſpermatis non ſignificat* δύναμιν ποιητικήν, *ſed ſemen, quale eſt ſtirpium, quod proportione* κυήματι *reſpondet, & quod ſemen Ariſtoteles dicit à fructu differre, quoad nimirum fructus, dicatur id, quod generatur, & fiat ex alio,* Semen *autem id appelletur, quatenus ex ipſo generetur aliud.* Eſt *autem* κύημα, *in animalibus* συνδυαζομένοις, *concretũ* κύημα *ex utroq; principio fœtus, quorum unum,* ποιητικὸν, *ſeu* ἀποσπερματικὸν, *& alterum dicitur* ὑλικὸν *ſeu* ποιητὸν. *Et ſemen, modo dictum, et* κύημα, *quoad ab animato corpore nõ ſunt* χωριστὰ, *eatenus ex ijs generari nihil poteſt.* Vt *herbarum ſemina, quoad ſeparata non ſunt à ſuis herbis, &* κυήματα τῶν ζωοτοκούντων & ᾠοτοκούντων, καὶ σκωληκοτοκούντων, *ſimilis ratio eſt. Nam ex illis etiam nihil naſcitur, niſi à generantibus ſeparata* κυήματα *fuerint.*

Prius generãtur Organa uegetatricis à plaſtica facultate, quam ſenſus & motus, tametſi ſimul una anima informentur.

Arborum

*Arborum autem σπέρματα fœcunda non ſunt, niſi quoad ſunt ἀχώριστα à ſuis ſtirpibus. De his omnibus ſeparatis quæritur, pro animatis ne ſint habenda, an uero non? quòd nõ ſint animata, manifeſtum eſt, quia corpora nõ ſunt organica, nec ipſa ſeſe uegetant, præterea quia nihil ipſum ſeſe generare poteſt, ſed ab alio fit & generatur, nempe à plaſtica facultate, quod ποιητικὸν illorũ principium exiſtit. Veruntamẽ, ut actu nõ ſunt, tamẽ potentia ſunt et dicuntur eſſe animata. Quando enim πλαστὰ eſſe deſierint, tum neceſſe eſt ut anima ſua informentur, ſimul omnib. quidẽ animatis factis, ſed nõ ſimul omnib. habitu ſuo perfectis inſtrumentis. Reſpondet Ariſtoteles, κύημα, ſeu ſperma, ex quib. fit animatum, uel animal, ut non ſint ſimpliciter animata corpora (quatenus πλαστὰ) non tamen ſunt omnino orbata quadam uita, quandoquidem ad ſe trahant humorem nutriturum quendam, ſine quo ſpermatica facultas organicum corpus fabricari haud queat. Quod dicimus, Ariſtoteles his uerbis uoluit intelligi. οὔτε γὰρ ὡς ἄψυχον θείη τις τὸ κύημα, καὶ κατὰ πάντα τρόπον ἐστερημένον ζωῆς. οὐδὲν γὰρ ἧττον, τά τε σπέρματα, καὶ τὰ κυήματα, τῶν ζώων, ζῆ, τῶν φυτῶν, καὶ γόνιμα μέχρι τινός ἐστιν. Vult Ariſtoteles quàm diu κύημα ſit πλαστὸν, καὶ γόνιμον, tam diu ſua propria anima ipſum corpus priuatum eſſe, qua nimirum poßit ſeipſum nutrire & uegetare, nihilominus tum plaſticam facultatem energeiam, θρεπτικῆς animæ exercere quæ talis ſit in materia conceptus ſeu κύημα, uita & energeia, qualis alias ſit in ſtirpibus, quæ energeia ſeu uita tantiſper duret, uſque dum plaſtica ui ſeminis efformatis omnibus organis anima ipſum corpus informans animalis, opus & uitam non modo uegetandi, ſed etiam ſentiendi, & mouendi corpus, præſtare poßit.*

Vita, hoc loco *ſignificat energeian,* qua nutrimẽtum ad ſe trahit ſemen, uel κύημα. Hanc uitã, exercet ſemẽ, quãvis adhuc animatum non ſit.

Sperma hoc loco ſignificat ſemen, quo naſcuntur herbæ.

Plaſtica facultas exercet. *energeiā θρεπτικῆς ψυχῆς,* quæ ſola ineſt ſtirpib. quæ ſimul eſt, & ſimul deſinit cũ Plaſtica energeia.

*Quòd autem τῶν κυημάτων θρεπτικὴ ζωή, qua plaſtica uirtus utitur, non ſit eadem ad numerũ cum ea animalis anima et uita, qua ipſum à ſeipſo uegetatur animal, & quòd permutetur eſſentialiter, plaſtica forma hanc uitã exercens, cũ animalis uel animati anima uegetatrice, quæ generationẽ organici corporis uel animati præcedit, ſignum illud declarat, quòd uidelicet durante hac uita ſeminis, & πλαστόν, & γόνιμον quiddam ipſum κύημα exiſtat, ſi quidem plaſtica uita & ἐνέργεια non terminetur, niſi ſucceſsione formæ ſubſtantialis animæ, qua conſtituatur animatum ſeu animal, ut reſpectu huius, quæ præceſsit φυτικὴ ſeu θρεπτικὴ ζωή, δυνάμεως, & non ἐντελεχείας animati corporis rationem habuerit. Ariſtoteles etiam ſubſtantialiter ſeu eſſentialiter diſtinguit, θρεπτικὴν τοῦ κυήματος ζωήν, & τοῦ ζώου θρεπτικὴν ψυχὴν, his uerbis, τὴν μὲν οὖν θρεπτικὴν ψυχὴν τὰ σπέρματα, καὶ τὰ κυήματα, τὰ χωριστὰ δηλονότι, δυνάμει μὲν ἔχοντα θετέον, ἐνεργείᾳ δὲ οὐκ ἔχοντα, πλὴν ἢ καθάπερ τὰ χωριζόμενα τῶν κυημάτων ἕλκῃ τὴν τροφὴν, καὶ ποιῇ τὸ τῆς τοιαύτης ψυχῆς ἔργον. Vt nimirum quatenus τοῦ φυτοῦ, τὸ κύημα, ζωὴν ἔχει, καὶ μὴ τοῦ ζώου ψυχὴν ἢ ζωήν. Hacq; ratione δυνάμει & non actu etiam θρεπτικὴν habere ψυχὴν κύημα uideatur, quæ tamen θρεπτικὴ ſubſtantialiter permutetur cum hac uegetatrice, quæ propria ſit animæ animalis, qua informante γόνιμον ſeu πλαστὸν deſinat eſſe κύημα. Cenſeo in Ariſtot: legendum, πλὴν ἢ, & non, πρὶν ἢ, ut uulgò legitur. Cœterum σπερματικὸς λόγος τῆς φυτικῆς ζωῆς interdum propter imbellicitatem τὸ κύημα animalis non producit ultra animam hanc φυτικὴν ſeu θρεπτικὴν, ut in grauidis Molam parturientibus, ut nulla niſi θρεπτικὴ ψυχὴ ineſſe κυήματι hac διαπλάσεως uideatur, qua nutriatur & adoleſcat (perempta plaſtica) informis hæc caro. Et*

In Arborib. ſpermata non ſunt χωριστά.

Non dicit qđ κυήματα habeant θρεπτικὴν ψυχὴν, ſed quod habeant ζωὴν quãdã, qualis ſit τῆς θρεπτικῆς ψυχῆς.

Nõ enim ἐνεργείᾳ ſed δυνάμει habent θρεπτικὴν.

Ariſtot: lib. 2. περὶ Γενέσεως τῶν ζώων.

aliquo

aliquousq; ſeu μέχρι τινὸς ſunt etiã γόνιμα ſubuentanea, ſeu ὑπηνέμια oua, quorũ generationem comparat generationi Molæ Galenus lib: 14. de uſu partium. Et Ariſto: σπερματικὴν δύναμιν definit, ratione ſuæ perfectionis τοῦ κυήματος, τῷ ποιῷ, & non τῷ ποσῷ, informatione ſc: animæ, & nõ incremento qualitatis κυήματος. De ſubuentaneis ouis, quæ perfecta generatione animalis abſolui nequeant, et nõ niſi μέχρι τινὸς γόνιμα exiſtant, ſortita duntaxat, τοῦ φυτοῦ βίον ſic Ariſto: ſcribit. Ἐνίοις γε τῶν ζώων, οἷον τοῖς ὄρνισι, μέχρι τινὸς ἡ φύσις δύναται γεννᾶν. αὗται γὰρ συνιστᾶσι μὲν, ἀτελῆ δὲ συνιστάσι τὰ καλούμενα ὑπηνέμια ὠά. Imperfectũ enim in illis eſt generationis principiũ, & ultra τὸν τοῦ φυτοῦ βίον γένεσις non promouet. Hactenus τοῦ κυήματος animalis, quoad nutritur & augetur, & adhuc πλαστὸν quiddam exiſtit, nondum ſcilicet animalis anima præditum. Quæ aut qualis uita ſit, quamuis expers ſit animæ, expoſuimus ſecundum Ariſtotelis ſententiam. His manifeſtum eſt, θρεπτικὴν τοῦ κυήματος ζωὴν non eandem numero eſſe, quæ ſit ipſius animalis θρεπτικὴ ζωὴ καὶ ψυχή. Quãdoquidem anima θρεπτικὴ materiæ κυήματος non poſsit ineſſe, niſi perẽpta ſit plaſtica δύναμις, quæ cum nulla parte animæ ſimul eſſe poteſt, ſiquidem animæ δυνάμεις non ſint partibus diuiduæ, ut ſupra diximus. Non autem alia ſunt inſtrumẽta quib. ſentit, aut mouetur animal, & alia quibus uegetatur, omnia enim quibus ſentit, iiſdem etiam uegetatur et nutritur, cùm omnia ὁμοιομερῆ ſuæ ſubſtantiæ aſsimilent nutrimentũ. Siquidẽ & nerui, et cerebrũ, & cor, cum cæteris uegetatrice anima ſuam eſſentiam tuentur. At uegetatricem, eſſe ſine ſentiente, manifeſtum eſt in ſtirpibus. Nondum autem exiſtente uita animalis uegetatrice uita, ſed non anima uerum πλαστικῇ δυνάμει τὸ κύημα nutriri

*& uiuere,modo dictũ eſt, Sed nondum conſtat ratio, propter quam plaſticæ uita hæc,cum uita uegetatrice perfectæ animæ, non ſit eodem numero, tametſi ratio uera hæc ſit, qua dictum eſt,animæ δυνάμεις (ut formæ & principij) & partes, non eſſe diuiduas,ut una poßit eſſe ſine alia,aut una ut prior,altera poſterior exiſtat. Non ob id liquet tamen, quamobrem poſteriore uegetatrice, neceſſe ſit priorem ζωὴν φυτικὴν aboleri, nempe plaſticam illam, qua partes ſimilares & organicæ parentur et generentur,ut tanquam ultima materia organici corporis δυνάμει ſuæ πλαστὰ illa informationi animæ ſubijciantur. Apparari autem quamlibet ultimam materiam, propria & uernacula craſi ad recipiendam formam, conſtat inter omnes phyſicos. Vegetatrix ergo hæc δύναμις qua τὸ κύημα dicitur τοῦ φυτοῦ βίον ζῆν, inſtrumentum plaſticæ facultatis exiſtens,τὸ ποιὸν καὶ τὸ ποσὸν organicarum partium apparat nequaquam forma,& anima quædam τοῦ κυήματος exiſtit,ſed eſt δύναμις quæ deſinente plaſtica facultate,ipſa quoq; deſinat eſſe. Et hoc modo prior in generatione forma ſeminis ſeu κυήματος cedit ſuccedenti formæ animæ, quandoquidem cuiquæ formæ ſua propria & οἰκεῖα ὕλη ſubijciatur, & quæ θρεπτικὴ δύναμις eſt in imperfecto cõceptu,qui dicitur κύημα,in eodẽ nequaquã ineſſe poterit θρεπτική perfectè animati organici corporis, alioqui enim inter κύημα, fiensq; animal, & factum animal, nullũ diſcrimen eſſe,cum illius θρεπτική, non ſit efficax ſine plaſtica facultate, hæc autem ſeipſa ſit efficax ad nutriendum. Non enim ſeipſum generat,ſed ſeipſum nutriendo, conſeruat animal ſeu animatum corpus. Vt ergo ſi caro generatur neceſſe eſt ſanguinis ſpeciem aboleri,ita ſi animal generetur, neceſſe eſt τοῦ κυήματος θρεπτικὴν ζωὴν, unà cum plaſtica facultate aboleri.*

*leri. Perfecto autem corde, anima, animalis informat organicum corpus, quoad ratione eſſentiæ perfectum animal dicimus eſſe, non quoad uitam & energeiam exercet φυτικὴν, quum cor primum ſit in animalibus, & ſit ultimum; quo extincto per mortem, ipſum quoque animal deſinat eſſe & uiuere. Sine plaſtica facultate, anima ſua propria uegetatrice, inſtrumenta ſenſus & motus non efficit quidem aut generat, ſed habitibus quibusdam duntaxat perficit, ut progreſſu temporis, ſenſui, & motui ſufficere queant ὅσίαι organicarum partium. Nam in prima ætate, ualidiſſima energea et uita uirtusq; eſt uegetatricis δυνάμεως animæ, deinceps autem ſequuntur perfectiones inſtrumentorum, quorum cauſa dicatur quod naſcitur, prius animal eſſe, quam* Equus, *& prius animal, quàm* Homo, *non quòd* Homo *generetur ex animali, ſed quòd perfectio inſtrumentorum animæ* Hominis, *poſterior ſit, & animalis organorum (quod ad χρέιας & ἐνεργείας organorum attinet) ſit prior perfectio.* Qua *ratione τόδε, μετὰ τόδε fieri aliquid dicitur, quorum omnium ſupra quoq; à nobis mentio & declaratio eſt facta.* Non *autem ut omnes ſimilares & organicæ partes in animalibus ratione eſſentiæ ſimul generantur, idem quoq; in ſtirpibus uſu uenit, quarum plaſtica facultas duntaxat θρεπτικὴν producit animam, quæ nimirum κύημα ſuum informans, ſtirpis ſubſtantiam conſtituat, ſed non omnib. ſimul partib. perfectæ.* Non *enim ſemetipſa ſeſe, ſed mediante ſpermatica δυνάμει ſemetipſam progreſſu temporis perficit, omnib. partibus ut folijs, florib. & fructib.* A *primo ortu, imperfectiſſimæ ſunt ſtirpes, ita ut uix etiã agnoſcãtur ſpecies niſi à peritis.* Vis *producendi κυήματα talia in illis ineſt, uſq; dum omnes numeros & partes generationis compleant producendo aut*

caudicem, aut frondes, aut folia, aut flores, aut fructus. In arborum ſtirpibus huiuſmodi δυνάμεις σπερματικαὶ, ſunt etiã quoddam ἀχώριστον κύημα, quo poſterius ſemper propagatur à priore, una & eadem exiſtente eſſentia animæ, quæ generatis his partibus ſeſe quaſi inuolutam explicat, informando & animãdo partes illas poſterius plaſtica uirtute productas. De actione ſeminis, & paßione κυήματος & partium organicarum formatione, ſi ſic ſentiamus ut dictum & demonſtratum eſt, haud difficile erit occurrere his difficultatibus, quas commemorat Cæſar Scaliger Cap. 290. parti: 2. Exotericarum exercitatio: quas contra Cardani ſubilitates ſcripſit. Queritur enim, utrum ſubſtantia animæ uniuerſa, ſimul omnes partes informet, an uerò quædam anima ſit, quæ primò informet corpus, ut uegetatrix, & poſterius informet ſentiens, poſtremò autem intelligens. Nam quòd non ſimul omnes Ariſtoteles uidetur dicere, quando inquit fœtum initio uiuere uita ſtirpis, deinde uita animalis, & ultimò uita Hominis. Quòd ſi gradatim corpus naſcentis animalis ſic informetur his animab. neceſſe erit aut priorem ſuccedente poſteriore perimi, ut nimirum ex animato fiat animal, & ex animali fiat Homo, aut priore non abolita, ſuccedente poſteriore, ut pro una animæ eſſentia, tres eſſentiæ inſint animarum, quibus nihil dictu abſurdius. Nam ſi perimitur prior, ex mortuo ſcilicet uiuum naſci oportebit, quandoquidem mori nihil aliud ſit quàm in corpore aboleri animam. Deinde quid abſurdius & magis abhorrens ab Ariſtotelis ſententia, quam tres differentes animarum οὐσίας in uno corpore eſſe, & poſteriorẽ priori accidere? D. Scaliger has ἀπορίας non ſoluit, nulla enim partib. diuidua eſt forma ſubſtantialis, quare nec prior à poſteriori poteſt cõtineri, ut unam οὐσίαν cõſtituant,

non

non enim ut triangulum ſine quadrato, ſic uegetatrix ſine ſentiente anima in animalibus poterit eſſe. Sed nos totam animam informare corpus organicum dicimus, nec unam ipſius priorem, & alteram poſteriorem eſſe dicimus. Plaſticam autem facultatem & δύναμιν, quasdam prius, nonnullas autem poſterius partes perficere, usq; dum totum corpus organicum ita ſit efformatum, ut propter δύναμιν ſuam organicam, qua uitæ δυνάμεως eſt particeps, perfecta anima informetur, ſiquidem ſimul exiſtentes forma & ultima materia rem naturalem conſtituunt. Tam diu autem plaſtico motu dicitur materia ex qua ſit animal, alterari, quàm diu expers fuerit animæ, quæ materiam ſuam non perimit abolitione prioris οὐσίας, ſed eam perficit. Plaſtica autem uis priorem οὐσίαν ut ſanguinis et ſeminis οὐσίαν ὁμοιομερῶν partium ex ipſis per σύμφυσιν conſtituit non equidem animatas, ſed plaſtica facultate deſinente, animandas. Et quamuis eo tempore partes animatæ, aut organicæ non dum ſint, nihilominus uegetationis & nutritionis non ſunt expertes. Nam, ut ſupra diximus, κυήματα habent hoc à facultate plaſtica, quamuis animata nondum ſunt, ut trahere nutrimentū & uegetari ea poſſint, ποιοῦντα τῆς τοιαύτης ψυχῆς ἔργον. ἔχοντα ζωὴν τοῦ φυτοῦ. Alioqui animare plaſtica facultas non poſſet, et ſubiectum ſeu materia ipſius δυνάμεως non particeps eſſet animæ. Quodammodo enim plaſtica uegetatricis officio fungitur, qua ratione, ut ſupra diximus non prorſus ἄψυχον quiddam ſperma eſſe conſtat. Sic ergo reſpondēdo, difficultatibus priorib. facile occurritur. In animalium autem generatione, prioris partis eſſentia, non eſt cauſa generationis poſterioris, ut cor, non eſt cauſa generationis cerebri, aut nerui, nec uenæ ſunt cauſa circumdantis ſe carnis, aut alicuius παρεγγύματος, ſed ſola

plaſtica facultas, formatrix & genetrix omnium partium eſt ſimilarium ſcilicet & organicarũ, quamuis unum prius alio plaſtica facultate formabile exiſtat. Vt prius uenæ, arteriæ, nerui, quàm carnoſa ſubſtantia, prius cor, quàm pulmo, quæ carnes reſpectu illarum παρεγχύματος habeant rationem, ſiquidem poſteriores ſine prioribus eſſe nequeant. At ſimul nerui, & cerebrum (ut animata) generantur, nam à cerebro neceſſe eſt neruos propagari. At uenas primas, & ſecundas ſimul generari ſcribit Galenus in libro de Generatione fœtus, poſterius his carnem iocinoris circumfundi. Inferiores arterias, idem ſcribit, quæ ſubeant in ambos pedes, prius naſci, quàm ſuperiores, & poſterius, ſuperiores cum corde naſci, quod tamen nõ conſentaneum uidetur, & cum Hippocratis ſententia pugnat, qui ſimul omnia ſuo modo eſſe & naſci ſcribit. Arteriæ enim, ut frondes, & rami in ſtirpibus, non creſcunt, ut una pars prius, alia poſterius generetur. Poſtremò omnium, formari ſcribit cerebri οὐσίαν, ſemperq; imperfectiores, priores γενέσει eſſe, perfectioribus partibus ac nobilioribus: quod de informatione animæ ſi intelligatur, falſum eſt. Perinde autem cauam uenam à Iocinore uerſus cor naſcente longitudinem ipſius ſcribit aſcendere, ut naſcituro cordi materiam ſuppeditet, atq; ſi quis ſurculum in longitudinem naſci & produci opinetur. Nam eodem modo creſcendo Arterias quoq; adnaſci cordi poſterius ſcribit, & non ſimul eas cum corde naſci exiſtimat Galenus, quæ prorſus à uero mihi uidentur aliena eſſe, propterea quòd in his omnibus συνεχείας φυσικῆς ſimul omnes partes coëxiſtãt plàſticæ facultatis energeια. At uerò partium ſimilarium & organicarum eſſe συνέχειαν φυσικὴν libro præcedente eſt probatum, & ſimul quod naſcitur à principio,

cum

*cum ſuo principio eſſe, indubitatum eſt.* Nam *uena caua & arteria naſcuntur à corde, & non cordis, uena, & arteria principium exiſtunt, & utrumq; ſimul quidem generat plaſtica facultas, ſed non utrumq; tamen ſimul perficit, ſiquidem prima generationis organa ſint uenæ et arteriæ.* Cordis *autem utilitas eſt tum demum, ſi plaſtica formare corpus deſierit.* Et *nobiliora poſterius etiam perfici, ſed non generari, iam antea dictum fuit.* Et *ſimul naſci quidem dicimus, ut ſemina ea ſed non ſimul perfici, poſteriusq; ea, quorum poſterior ſit uſus, habitu ſuo perfici dicimus.* Non ergo tempore, ratione ζωῆς & *animationis, uenæ, & arteriæ priores ſunt corde, aut nerui, priores ſunt cerebro, ſed* γενέσει plaſticæ δυνάμεως *ratione priora ſunt illa ſuis principijs.* Principia *autem horum, ut* γενέσει & *perfectione poſteriora ſunt, ita nihilominus phyſει priora exiſtunt.* Partes *ſtirpium priores, differre à poſterioribus, notum eſt ſenſu.* In *principalibus autem, prima perfectio plaſtica eſt hepatis, altera & poſterior quidem, cordis, poſtrema eſt cerebri.* Inchoari *autem omnia ſimul, tanquam* σκιαγραφίᾳ *quadam depicta, conſentaneũ eſt ſecundum* Hippocratem, *cuius etiam ſententiam probat* Galenus *in libro* περὶ κυημένων διαπλάσεως, *ubi contra* Ariſtotelem & Stoicos *defendit,* Cor, *non eſſe primum plaſticæ inſtrumẽtum, ſed* Hepar, *poſterius autem* Cor, *poſtremò ipſum cerebrum.* His *omnibus ſua* συμφύσει *per* διάπλασιν *perfectis, uniuerſum corpus animetur, plaſtica ui & energια deſinente.* Quomodo *enim cor primum eſſet, ſiquidem* κίνημα *initio* τοῦ φυτοῦ, & *poſterius tandem animalis uitam uiuat.*Nos *cum* Galeno *ſtatuimus,* πρῶτα τῆς φύσεως πλαστικῆς ὄργανα *eſſe uenas & arterias, quibus poſterius reliqua organa generentur, ut primò hepar, poſterius cor,* Ve-

*rumtamen unum prius, & alterum poſterius animari nequaquam cenſemus, ſed omnia ſimul. Sine uenis autem, nulla pars alia organica generatur.* Et hæc quidem γενέσει *prima dicimus eſſe.* φύσει *autem primum organum eſt cor, generato iam ſcilicet animali, quòd penes ipſum ſcilicet ſit* διοίκησις *uitæ totius, de quo ſatis ſuperq; etiam ſupra dictũ fuit. Ariſtoteles ſimpliciter principatum* γενέσεως *ſcilicet & Eſſentiæ adſcribit cordi, quoad nimirum rationem habeat,* Finis, *ut cuius gratia ſint reliqua organa facta,* Et *quo etiam plaſtica uis, (quod tamen falſum ſit) ut* πρώτῳ κινητικῷ *fabricandis alijs utatur.* Quòd *animæ ſit, & non plaſticæ facultatis cor primũ motionis inſtrumentum, haud imus inficias.* Quòd *tanquam finis, ſit principium cor, & gratia cuius inſtrumenta reliqua ſint generata, non inuitus conceſſero.* Nulla *enim ſine corde eſt uita & anima* Animalis *incolumitas, & unà cum ipſo extincto, omnia ſunt ſimul mortua.* At Ariſtoteli *placet à plaſtica facultate primum omnium formari cor, quo ut inſtrumento, reliquis organis generandis utatur ex materia* κυήματος, *quæ nimirum materia, omnia ſit* δυνάμει, *quorum efficiens cauſa ſit* πλαστικὴ δύναμις, λόγον *& actum omnium generandorum in ſe continens.* Comparat *ſtirpium & animalium formatricem facultatem* Ariſtoteles *his uerbis.* ὅταν δὲ συστῇ τὸ κύημα ἤδη, παραπλήσιον ποιεῖ τι τοῖς σπειρομένοις. ἡ μὲν γὰρ ἀρχὴ, καὶ ἐν τοῖς σπέρμασιν ἐν αὐτοῖς ἐστὶν ἡ πρώτη. Ὅταν δ' αὕτη ἀποκριθῇ ἐνοῦσα δυνάμει πρότερον ἀπὸ ταύτης ἀφίεται ὅ,τε βλαστὸς, καὶ ἡ ῥίζα. αὕτη δ' ἐστὶν ᾗ τὴν τροφὴν λαμβάνει. Δεῖται γὰρ αὐξήσεως τὸ φυτὸν, οὕτω καὶ ἐν τῷ κυήματι, τρόπον τινα πάντων ἐνόντων δυνάμει τῶν μορίων, ἡ ἀρχὴ πρὸ ὁδοῦ μάλιστα ἐνυπάρχει. Διὸ ἀποκρίνεται πρότερον ἡ καρδία, ἐνεργείᾳ, καὶ τοῦτο οὐ μόνον ἐπὶ τῆς αἰσθη-

Contra Ariſtotelem, qui dicit cor eſſe primum plaſticæ facultatis inſtrumentum.

Cor, Ariſtot: comparat radicibus.

αἰσθήσεως δῆλον, συμβαίνει γὰρ οὕτως, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ λόγου. Οταν γὰρ ἀπ' ἀμφοῖν ἀποκριθῇ, δεῖ αὐτὸ αὑτό διοικεῖν τὸ γενόμενον, καθάπερ ἀποικισθὲν τέκνον ἀπὸ πατρὸς, ὥστε δεῖ ἀρχὴν ἔχειν, ἀφ' ἧς καὶ ὕστερον ἡ διακόσμησις τοῖς ζώοις γίνεται τοῦ σώματος. Ει γὰρ ἔξωθεν ποτ' ἔσται, καὶ ὕστερον ἐνεσομένη, οὐ μόνον διαπορήσειεν ἄν τις, τὸ, πότε, ἀλλ' ὅτι ἀνάγκη ὅταν ἕκαστον χωρίζηται τῶν μορίων, ταύτην ὑπάρχειν πρῶτον, ἐξ ἧς καὶ ἡ αὔξησις ὑπάρχει, καὶ ἡ κίνησις τοῖς ἄλλοις μορίοις. Διόπερ ὅσοι λέγουσι, ὥσπερ Δημόκριτος τὰ ἔξω πρῶτον διακρίνεσθαι τῶν ζώων, ὕστερον δὲ τὰ ἐντὸς, οὐκ ὀρθῶς λέγουσι, ὥσπερ ξυλίνων ἢ λιθίνων ζώων, τὰ μὲν γὰρ τοιαῦτα, οὐκ ἔχει ἀρχὴν ὅλως, τὰ δὲ ζῶα ἔχει πάντα, καὶ ἐντός ἔχει. Διό πρῶτον ἡ καρδία φαίνεται διωρισμένη πᾶσι τοῖς ἐναίμοις. Αρχὴ γὰρ αὕτη καὶ τῶν ὁμοιομερῶν, καὶ τῶν ἀνομοιομερῶν. Hδη γὰρ ἀρχὴν ταύτην ἄξιον ἀκοῦσαι τοῦ ζώου, καὶ τοῦ συστήματος, ὅταν δέηται τροφῆς, τὸ γὰρ δὴ ὂν, αὐξάνεται, τροφὴ δὲ ζώου ἡ ἐσχάτη, αἷμα, καὶ τό ἀνάλογον, τούτων δ' ἀγγεῖον αἱ φλέβες. Διὸ ἡ καρδία καὶ τούτων ἀρχή. His argumentis probat Ariſtoteles, *κύημα formationem & διακόσμησιν habere à plaſtica facultate ſeminis, non tamen quoad ſit in ipſo inſtrumentum uegetatricis animæ, qua inſtar ſtirpis initio uiuat. Et quòd ipſum organum illud plaſtica primò producat ex materia quadam parte τοῦ κυήματος, quo organo poſtea reliquis intra, & extra, partibus ſimilaribus & organicis formandis utatur. Plaſticã enim diſtinguere quidem, & formare partes, & membra omnia, ſed idipſum non poſſe, niſi nutriatur et adoleſcat κύημα inſtar cuiuſdam ſtirpis, ut ex reliquis partibus κυήματος, quæ δυνάμει ſunt omnes partes animalis, per plaſticam facultatem omnes actu partes ipſius animatæ generentur. Incrementi autem & nutritionis nihil eſſe capax, niſi uita uege-*

ἀπ' ἀμφοῖν) Id eſt, Generantib. ipſum cauſis quas κύημα in ſe continet. Nã corde ſeipſo viuit animal, & non ab alio viuificatur.

Εἰ γὰρ ἔξωθεν) In corde, vt primo inſtrumento produci animam, et non eam extrinſecus aduenire. Nam ſine corde neque quando neq; quomodo animetur corpus explicari poterit.

Si habent ἀρχὴν uitæ animalia, ergo intra corp⁹ erit, & inter multa διακριθέντα vnum erit.

Probat ꝙ ſit primũ cor, q̃a nutritionis, principium quia ſit officina ſanguinis

*tatrice ſit præditum. Et primum illud plaſticæ δυνάμεως inſtrumentum, eſſe cor ſtatuit Ariſtoteles, Galenus, Hepar, ut autem mea fert ſententia, uenoſum eſt genus, quod ipſum aliâs etiam Galenus prima generationis organa appellat, ut materiam & nutrimentum τῷ κυήματι ſuppeditantia, nempe ſanguinem, quo plaſtica nutrire & efformare reliquas partes poſſit. Hepatis caro quem uſum habeat, & quod poſterior ſit formatio ipſius, quàm uenarum & arteriarũ, alio quodam loco eſt demonſtratũ. Cor autem non eſſe primum organũ, quo utatur plaſtica ad formanda reliqua, his contra Ariſtot: quæ diſputat Galenus, uera eſſe arbitramur. Cor enim, ut ſupra oſtenſum eſt, nõ plaſticæ primum inſtrumentũ eſt, quo efficiantur, ſed animæ animalis inſtrumentũ exiſtit, quo perficiuntur uegetationis motus, & item ſenſus inſtrumẽta, poſtremò enim illa omnia à plaſtica perficiuntur. Anima enim in corde habitat, non tàm uegetatrix omniũ (principium ſc: uitæ animalis exiſtens) quàm perfectrix reliquorũ, non autẽ generatrix, quib. ſentit, & mouetur animal, inſtrumentorũ. Simul.e.corde perfecto, naſci animal, & perempto eo, mori dicendũ, et nõ eo tandem tempore, quo ſentire aut mouere ſe poteſt in utero, pro animali haberi debet, ſed tum demũ quando motus formationis deſierit, & ipſum ſeſe nutrit, quod in utero continetur, de quo dictũ quoq; ſuperius fuit. Ariſto: ergo ἐν τῷ κυήματι primo formari cor ſcribit ut inſtrumentũ τῆς θρεπτικῆς ζωῆς. Nam κύημα, χωριστόν quiddã eſt, & quædã ἀπόκρισις animatorum maſculini fœminiq; ſexus animatorum corporũ, quod ipſum in ſeipſo neceſſe eſt ut habeat animationis ſuæ unum principium, ut filius eſt, qui non amplius eſt in poteſtate patris, qua ratione id quod generatur et fit, δι᾽ αὐτὸ αὑτὸ διοικῶν, propria & ſua anima informatũ. At*

*tamen*

*tamē dum formatur adhuc fœtus, ſine principio, quo poßit nutriri & adoleſcere, & formari plaſtica facultate, κύημα non poterit eſſe materia generationis animalis.* Adminiculo *autem huius primi organi generati ex materia κυήματ☉, plaſtica facultate & reliqua omnia efformari intra & extra corpus etiam organa diſtingui generandi animalis hac demonſtratione liquet.* Nam *ſi plaſtica formatrix ſit extra κύηματ☉ materiam, & non ſit etiam in materia ipſa κυήματ☉ organicum uitæ principiũ quoddam, ſi omnia ſine uita uegetatrice efformentur, tum plaſtica, nihil differet ab artificis motu & artificio, quo figuræ tantũ animalium efformantur, ut in his nullum internum ſit principium motionis animatæ.* Quare *motionis ſuæ interno principio quodam, plaſtica efformabit κύημα,* Artifex *autem nullo interno principio (habente σύσφυγαν θρεπ[illegible]) efformabit quidpiam.* At *principiũ illud, unum eſſe oportebit.* Nam *ad rationem principij, quod cauſa ſit multorum effectorum, pertinet, aliquid unum eſſe.* Quòd *ſi prius plaſtica facultate efformentur plures à primordio partes animatæ, & ex his non ſit una quædam, reſpectu reliquarum formationis & animationis principium, quandonam, & quænam talis pars ex multis una, ſit principium nutriens, & augens, id eſt, primò animans corpus dubitabile erit, ſi non cor ipſum fuerit, cum ſine corde reliquarũ partiũ nulla ſit uita, nullusq; motus nutritionis aut incrementi corporis.* Quo *nomine reprehendit* Ariſtoteles Democritum, *qui naſcente animali prius efformari partes & membra externa cenſet, & poſterius interiora uiſcera & partes internas.* Sed *externarum partium nulla poteſt eſſe principium, quamobrem primò etiam ipſæ non erunt inſtrumentum plaſticæ, cum neceſſe ſit principiũ, eſſe quandam par-*

*tem internam, nempe cor ipſum, à quo enaſcũtur & uenæ & arteriæ* (θρεπτικὰ ὄργανα) *& ab eodem autore* Ariſto- *tele, nerui etiam propagantur, ut ſecundum* Ariſtotelem, Cor *ſit horum quoq; organorum principium*, Plaſtica *autem facultate formatis reliquis organis, animata non etiam tum erunt, niſi uenis nutriri queant, in quibus ſanguis eſt animatorũ ſanguineorũ nutrimentum*, His *fretus argumẽtis* Ariſtot: *ſtatuit, cor principiũ eſſe quo neceſſe ſit reliqua omnia organa formari, et animari, quæ nimirũ prius à plaſtica facultate efformantur, & uitã deinde atq;* διοίκησιν *à corde accipiant.* Formatas *enim partes, plaſtica uis inſtrumento cordis uiuificat & uegetat ſecundum* Ariſtotelem. Τὸ γὰρ δὴ, ὄν, αὐξάνεται, *non antem quod nondum eſt generatum & formatum.* Nos *autem cor negamus primum plaſticæ inſtrumentum eſſe, quo uiuant & uegetantur efformatæ partes à plaſtica facultate, quum* Embryoni *imperfecto non opus ſit corde, quo iam factum animal, uiuit, & non generandum, ſed uenis & arterijs opus eſt, ſuppeditantibus, ſanguinẽ, & nutritionẽ à plaſtica facultate efformatis partibus, in quibus quoad ineſt,* θρεπτικὴ *nõ* ψυχὴ, *ſed* ζωὴ *cum plaſtica facultate, principium reliquarum partium ſimilarium et organicarum animationis eſſe dicuntur.* Nullæ *enim partes nutrirentur ſi ſanguinei humoris eſſent expertes, deſtituerentur poſterius etiam uegetatrice anima, ſi non primum aliquod eſſet uegetationis organon, quod ipſum non eſſe cor, ſed uenoſum genus, ſecundum* Galenum *ſtatuimus.* πλαστικὸν λόγον *eſſe omnia conſtat, ut principium et cauſam efficientem formatricemq; omnium partium animati corporis, quoad* κυήματος *materia, eſt etiam potentia ſeu* δύναμις, *omnes partes animati corporis, quas* σπερματικὸς λόγος *ſeparat & diſtinguit naturis partium*

ani-

*anima uegetatrice informandarum, quæ deinde perfectè informentur anima animalis, qua ad extremum generationis tempus, inſtrumenta ſenſus & motus ſic efformentur & perficiantur, ut quod naſcitur, non modò ſit animal, ſed etiam* Equus *animal, aut homo animal. Gradatim enim omnia hæc de potentia, perficientibus habitibus producuntur in actum.* Non *enim poteſt eſſe corpus organicum, ſine natura, nec animal poteſt eſſe ſine corpore organico, & ſine animali, non poteſt eſſe* Equus, *aut* Homo. Tempori*bus diuerſis hæc omnia perfecta habitibus non eſſentia animæ fiunt, ut prima* Διάκρισις *hæc partiũ, qua nimirum* φύσεως *gratia materiæ omnes partes diſcretas eſſe* τοῦ κυήματος *in die ſeptimo, poſt cõceptũ, ſupra* Hippocratis *autoritate probauimus. Vnus eſt* λόγος πλαστικὸς *& indiuiduus partibus, qui tamen cauſa effectrix ſit unius in partes organicas multas diuidui corporis propter diſcrepantes naturas, quarum cauſa eſt* ὁ λόγος πλαστικὸς. Nam, *ut* Efficiens, *cauſa eſt multorum naturalis principij, ut unum ſemper* τῷ λόγῳ, *ſit multorum* τῇ φύσει *cauſa & principium.* Nam *ut inquit* Ariſtoteles *lib:* λ. Metaphy: τοιαύτη γὰρ ἑκάστου ἀρχὴ, αὐτῶν ἡ φύσις ἐστί. Λέγω δ' οἷον εἴς γε τὸ διακριθῆναι ἀνάγκη ἅπασιν ἐλθεῖν, καὶ ἄλλα, οὕτως ἐστὶν, ὧν κοινωνεῖ ἅπαντα ἐς τό ὅλον. Ex *his* τῇ φύσει *diſtributis & diſtinctis partibus animalis quæritur, quænam ſit animationis ſeu nutritionis cum plaſtica facultate principium.* Venoſum *ſcilicet genus nos primum organum cum* Galeno *ſtatuimus,* Ariſtoteles, *cor, eſſe arbitratur.* Etenim *ſine ſanguine nihil nutritur, & quod non nutritur, anima eſt expers.* Ve*næ enim ſunt quaſi radices, reliquis partibus nutrimentum ſuppeditantes.* Et φύσις *præterea, omnium partium nutriendarum, nihil aliud eſt, quàm materia ultima anima-*

*tionis, ſeu uegetatricis animæ, quæ, propter nutritionem informari dicuntur, paulò poſt animalis animæ partes participaturæ, cuius principatus in corde exiſtat,* Materia au*tem πνεύματος ſua δυνάμει horum perfectionis graduum eſt particeps. Verumtamen in multis omnibus principatus penes unum quoddam eſt, ut θρεπτικῆς ζωῆς, in uenoſo genere, quo reliqua omnia nutriuntur, ut radicibus ſtirpes nutriuntur. At ζωτικῆς, principatus eſt in corde.* Nam his *principijs non exiſtentibus reliquarum partium nulla uegetari, aut uita animalis uiuere poterit.* ὑποληπτέον (*inquit* Ariſtoteles libro περὶ κινήσεως τῶν ζώων, συνεστάναι τὸ ζῶον ὥσπερ πόλιν εὐνομουμένην. Ἔν τε γὰρ τῇ πόλει, ὅταν ἅπαξ στῇ ἡ τάξις, οὐδὲν δεῖ κεχωρισμένου μονάρχου, ὃν δεῖ παρεῖναι παρ᾽ ἕκαστον τῶν γινομένων, ἀλλ᾽ αὐτὸς ἕκαστος ποιεῖ τὰ αὑτά, ὡς τέτακται, καὶ γίνεται τόδε, μετὰ τόδε, διὰ τὸ ἔθος. Ἔν τε τοῖς ζώοις τὸ αὐτὸ τοῦτο, διὰ τὴν φύσιν γίνεται, καὶ τῷ πεφυκέναι ἕκαστον οὕτω συστάντων, ποιεῖ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον, ὥστε μηδὲν δεῖν ἐν ἑκάστῳ εἶναι ψυχήν, ἀλλ᾽ ἐν τινι ἀρχῇ τοῦ σώματος οὔσης, τὰ ἄλλα ζῆν μὲν, τῷ προσπεφυκέναι, ποιεῖν δὲ τὸ ἔργον τὸ αὐτῶν, διὰ τὴν φύσιν. Dicit Ariſtoteles *quòd Anima, id eſt, principatus animæ, non in omnibus partibus ex æquo inſit, ſed in una quadam parte.* Nam anima non eſt principium mouendi ſi*ne quodam inſtrumento.* Naturam autem *ſeu φύσιν, hoc loco appellat, habilitatem, qua mobile dicatur quidpiam eſſe, non qua primo moueat, ſed qua primò moueatur à principio. In corporibus animalium, omnes partes ſunt animatæ, ſed hoc modo, & hac differentia, ut in principali inſtrumento, ut principatus, ita animæ quoq; habeat appellationem, ſed in cæteris, quæ dependent ab illo principio, anima, φύσεως appellationem obtinet, quoad uidelicet*

ἐν ἑκάστῳ) ὡς ἀρχὴν ὄν, σωματικὸν φύσις eſt principium incipiendi motum.

ſeſe

*ſeſe ipſa ſine principio illo animato mouere nequeant.* Vt *ſine* Venis, *nulla in reliquis eſt uegetatio, ſine corde, nulla in reliquis eſt uita animalis, ut quæ propria uita ſit animalium. Cùm porrò perfectius ſit, γενέσει poſterius, ut cor, in quo principatus eſt uita animalis, quæ poſterior eſt plaſtica uegetatrice, quam uegetatricem tamen priorem γενέσει eſſe conſtat; omnino dubitabile eſt, quomodo cor, perfectione ultimum, nihilominus γενέσει primum eſſe poßit?* Ariſtoteles *admodum operosè probat, poſſe fieri, ut aliquid idem, finis rationem habeat, & item primi efficientis.* Hoc modo alicubi Ariſtoteles, *mentem humanam dicit eſſe primum, & ultimum quiddam, primum ſcilicet, efficientia intelligibiliū principiorum, & ultimū, ut finem, perfectione ſcientiæ, qua πρὸς τοὺς ὅρους νοητοὺς omnia reuocantur, quam ἀνυπόθετον ſcientiam eſſe, aliâs docuimus in Antiſimonio noſtro, quo uæcordiam & inſcientiam iſtius hominis confutauimus.* Quòd ſi *eodem modo cor in organicis partib. ſit πρῶτον ποιητικὸν inſtrumento πλασμῶς, id eſt, primū γενέσει, & nihilominus ſit φύσει primum, finis rationē habens, gratia cuius conſeruandi omnia cætera organa ſint conſtructa, non difficile erit* Ariſtoteli *rationib. id defendere, quod tamē ipſum* Anatomiæ *θεωρίας defendi nequeat, (ut diximus) ad quam tamē ipſe etiā ultrò prouocet, probans cor primū eſſe organum generatione, et ultimū perfectione, ſeu ratione finis in generatione animalium. Quæ generātur animalia partib generationis diſtinguuntur, quarū quædam prius, nonnullæ poſterius generantur.* (Prius, *& poſterius illud referendū eſt ad partes nō quoad ſunt animatæ, ſed quoad plaſtica facultate φύσις earū formatur συμφύσει elementorū, ut fiant poſtea οἰκεῖα ὕλη animæ) & quædam finis rationem habēt, & aliæ ſunt quæ*

ἀπορία.

*propter aliud, & cauſa finis generentur, & alijs, ut perficientibus, alijs autem ut à quodam alio perfectis exiſtentibus. Ariſtoteles ergo monſtrat cor primum eſſe ex organis plaſtica γενέσεως, nec non etiam primum τῆς οὐσίας καὶ φύσεως, ut finẽ, gratia cuius reliqua omnia ſint generata. Quòd unum organum, cauſa alterius ſit generatum, manifeſtum eſt hiſtoria, quæ eſt de partibus animalium, ſeu Galeni libris de uſu partium, Item quod ſit aliquid primum, tanquam organum plaſticæ, efficiens uegetationis & uitæ in omnibus alijs partibus, Id primum, Ariſtoteles dicit eſſe cor. Finis generationis, eſt totum animal. Cor, ut pars ipſius principalis, ſimul cum animali eſt, & perempto animali, ſimul perimitur, ut nimirum totum, & pars hæc principalis, finis rationem habeant, præſertim cùm & ſenſus & motus inſtrumenta, animali ſint tributa ad uitam tuendam, nempe ad cuſtodiam cordis, quo ſaluo, incolumis etiam ſit uita animalis, & quo perempto, neceſſe ſit animal etiam mori. Quinetiam in corde principatus eſt uegetatricis animæ, ſine qua ne naſci quidem poſſunt organa nutritionis, quæ & ipſa à corde ſecundum Ariſtotelem & naſcuntur, & ab ipſo uegetantur, ut nutritioni omnium famulari poßint. Quamobrem cor primum γενέσεως etiam eſſe oportebit, ut uidetur Ariſtoteli. Sed nos cum Galeno dicimus, corpus animalis prius θρεπτικῇ ζωῇ quàm ζωτικῇ facultate uegetari. Illam enim, certum eſt pro inſtrumento habere uenoſum genus, hanc uerò non niſi perfecto corde poſſe exiſtere manifeſtum eſt. Quod non diſtinguens Ariſtoteles, non mirum eſt, ſi cordi principatum in omnibus adſcribit, non tantum γενέσεως & plaſticæ facultatis ratione, ſed etiam reſpectu τῆς οὐσίας animatæ. Diſtinguit Ariſtoteles etiam modos, quibus dicitur ali-*

*quid*

*quid eſſe prius. Vnus eſt, quo dicitur prius aliquid, tanquam finis, & gratia cuius alia ſunt, aut fiunt, ut quæ φύσει priora dicũtur. Alia ſunt priora, quæ aliorum gratia ſunt, aut faciunt aliquid, quæ* Ariſtoteles *appellat*, τούτου ἕνεκα, *& aliâs hæc priora* γενέσει *reſpectu effectus eſſe dicuntur, oppoſita his, quæ* οὗ ἕνεκα *& tanquam finis, prius* φύσει *eſſe dicuntur. Deinde aliquid facientia aut ad finem deſtinata,* τούτου ἕνεκα, *bifariam diuiduntur, ut quædam ſcilicet tanquam* γεννητικὰ *ſeu* ποιητικὰ *præcedant finis effectum, nonnulla autem, quatenus ſunt inſtrumenta finientis & principalis cauſæ, quibus ad operationem ſuam finiens & principalis cauſa utatur. Quæ alterius gratia ſunt, aut fiunt, ijs aut fieri finis ſeu effectus dicitur, qua ratione præcedit potentia, actum, in uno eodemq; ſubiecto, ut* κύημα *præcedere* Embrionem, *& hunc priorem, animali dicimus eſſe.* Aut *quod eſt principium & cauſa alterius, quod ipſum quoq;* τούτου ἕνεκα *appellatur,* οὐσίᾳ *& ſubiecto differens à fiente fine, ut ſunt* ποιητικὰ, *uel* γεννητικὰ αἴτια, *ut uenoſum genus reſpectu* cordis. In *talibus, prius, actu ſeu* φύσει *dicitur eſſe, & poſterius dicitur eſſe potentia ſeu* γενέσει. Vt *in nutritione ſi caro dicatur ex nutrimento carnem facere, aut cor (ſecundum* Ariſtotelem*) ſi dicatur cauſa eſſe* θρεπτικῆς ψυχῆς *in omnibus ſimilaribus partibus à plaſtica facultate* φύσιν *ſeu* σύμφυσιν *habentibus, ut poßint animari. Quo reſpectu fientium, ad* ποιητικὰ *ſeu* γεννητικὰ αἴτια, *quæ* γενέσει *poſteriora ſunt, eadem, nihilominus* φύσει, *ſeu* οὐσίᾳ *fientia, priora dicimus eſſe, nempe ſimpliciter actum, priorem eſſe efficientia, quàm ſit* γένεσις *& potentia, fientium effectorũ, ut probat* Ariſtoteles *in* Metaphyſicis. Itaq; *propter cauſam efficientem, poſterius* γενέσει *exiſtens, nihilominus prius* φύσει *dicitur eſſe, ut* Homo

*generans, eo homine, qui generatur, prior* φύσει *eſt, & genitus homo, poſterior dicitur eſſe* γενέσει *ſed non* φύσει. Ariſtoteles Metaphyſ. λ. τὰ μὲν ὡς κινοῦντα αἴτια, ὡς προγεγεννημένα ὄντα. τὰ δ' ὡς ὁ λόγος, ἅμα. Ex neceſſitate *enim, ſi effectus comparatur ad cauſam, effectus* γενέσει poſterior *eſt, & cauſa eſt* φύσει, *id eſt, actu &* οὐσίᾳ prior. Et *hac ratione probat* Ariſtoteles *cor, tanquam cauſam uegetatricis animæ in omnibus partibus,* φύσει *prius eſſe, id eſt,* οὐσίᾳ *præcedere* οὐσίαν *animationis aliarum partium, ut quæ reſpectu cordis,* γενέσει *ſint poſteriores, quandoquidem à corde habeant ſuum animatum eſſe.* Præterea *organis etiam quibuſdam cum cor ſuam incolumitatem tueatur, ut inſtrumentis* Reſpirationis, *item organis ſenſus & motus, quibus proſequatur ſalutaria, & fugiat uiceq; nocentia, his etiam ipſis prius ipſum cor eſſe oportet, quo nimirum nomine,* τούτου ἕνεκα *dicuntur eſſe organa hæc reliqua, quibus cor, ut dixi, utitur ad ſuam incolumitatem.* Prior *enim artifex eſt, quàm ſint inſtrumenta ipſius, ut* Buccinator *prius eſt, quàm buccina, quæ fruſtra ſanè eſſet, ſi* Buccinator *non eſſet.* Quæ *quidem omnia quando ſunt, non etiam* Equum, *aut* Hominem *eſſe oportet, cùm ſint communia hæc omnium animalium.* Species *autem* Animalium *tum conſtituuntur, quando poſtrema perfectione, ratione* Eſſentiæ *ſuæ poßit præſtare ea quæ ſunt* Equi, *aut* Hominis *propria* πάθη. Non *autem ut ex conceptu fit* Animal, *ita ex animali, fit* Equus *aut* Homo, *ſed* τόδε μετὰ τόδε, *fieri dicitur, ut ex imperfecto, perfectum habitu, de quo ſupra monuimus.* Hæc *omnia ſcribuntur ab* Ariſtotele *breuiter ſanè & obſcurè, quibus interpretatione noſtra lucem afferre conati ſumus.* Ariſtoteles

Conceptus eſt & dicitur, κύημα.

teles, cuius cauſa eſt, aliud, uocat, οὗ ἕνεκα, & τέλος: ipſum autem quod eſt cauſa alterius, ut finis, τούτου ἕνεκα appellat. Ariſtot. lib: 2. de generat. animal. Item libro θ. Metaphy. Ipſum, οὗ ἕνεκα, nominat πρότερον φύσει, ſed ipſum τούτου ἕνεκα, appellat πρότερον γενέσει, Vt forma, ſeu φύσις, & οὐσία rei, eſt οὗ ἕνεκα, ſed quæ faciunt ad generationem ipſius, τούτου ἕνεκα, & πρότερα γενέσει dicuntur. Deinde τὸ τούτου ἕνεκα, id eſt, quod in cauſa eſt, ut aliud quiddam exiſtat, diuidit bifariam, ut ſi dicatur Efficiens, eſſe cauſa effectus, ut ſi Doctor, propter Diſcipulum, ut Hominem γεννητικόν, propter γεννητόν ſi dicamus eſſe. Nam hoc modo ἀπ' ἀρχῆς πρὸς ἀρχὴν βαδίζειν τὸ γινόμενον, à perfecto, ſcilicet ad perfectum dicitur. Nam in efficiente, & effectu, ut numero differant, tamen ſpecie aliquid unum erunt, ut uel ambæ ſpecies ſint ἔνυλοι uel Efficiens, κατ' ἐντελέχειαν, eandem ſpeciem habere dicitur, ut Sanitas Medici in intellectu exiſtens, & ea quam extra in corpore efficit: aut θρεπτική, quæ in corde eſt, reſpectu eius, cuius ipſum cor cauſa eſt θρεπτικῆς ψυχῆς, in ſingulis partibus. Nam Cor in Animali eſt ut uiuificet omnia, nam τῷ πρὸς πεφυκέναι ἑκάστοις quoad reliquæ partes omnes animatæ eſſe dicuntur. Aliam deinde ſignificationem τοῦ ἕνεκα τούτου proponit, qua nimirum Inſtrumentum cauſa utentis eſſe dicitur, quod ipſum quoque poſterius ſit φύσει utente ipſo. Quomodo autem his diuiſionibus ad ſuum propoſitum declarandum Ariſtoteles ſit uſus, paulo antè eſt expoſitum. His paucis uerbis utrumq; τὸ ἕνεκα τούτου, complexus eſt. Λέγω δὲ οἷον τό, τε γεννητικόν, quod prius eſt, καὶ τὸ ὀργανικὸν τῷ γενομένῳ, quod poſterius eſt. Qualia autem ſint tria hæc, nempe τὸ

*οὗ ἕνεκα, & geminum illud, τὸ τούτου ἕνεκα, planioribus & apertioribus uerbis poſtea explanat, quæ breuitatis cauſa nolo recenſere, cum præcedente noſtra interpretatione facile intelligantur omnia. Hanc diuiſionem, ut probet, cor eſſe primum organũ in naſcente animali, his uerbis applicat ad ſuum propoſitum,* τριῶν δὲ ὄντων, ἑνὸς μὲν τοῦ τέλους, ὃ λέγομεν εἶναι, οὗ ἕνεκα, δύο δὲ τῶν, τούτου ἕνεκα, τῆς ἀρχῆς, τῆς κινητικῆς καὶ γεννητικῆς. τὸ γὰρ Ποιητικόν, καὶ Γεννητικόν, ᾗ τοιαῦτα, πρὸς τὸ ποιούμενον ἐστὶ καὶ γεννώμενον, τρίτου δὲ τοῦ χρησίμου, καὶ ᾧ χρῆται τὸ τέλος. Πρῶτον μὲν ὑπάρχειν ἀναγκαῖον μόριον, ἐν ᾧ ἡ ἀρχὴ τῆς κινήσεως. καὶ γὰρ εὐθὺς τοῦτο μόριον ἐστὶ τοῦ τέλους, ἓν, καὶ κυριώτατον. *Quale, cor eſt.* Ἔπειτα μετὰ τοῦτο, τὸ ὅλον καὶ τὸ τέλος, *Id eſt, totum animal.* τρίτον δὲ καὶ τελευταῖον τούτοις *(id eſt, principaliſſimæ parti, & toti ipſi)* μόρια πρὸς ἐνίας χρήσεις. *De quibus paulò ante dictum. Applicat iſta ad ſuum propoſitum hoc modo.* ὥστε εἴτι τοιοῦτον ἐστιν, ὅπερ ἀναγκαῖον ὑπάρχειν ἐν τοῖς ζώοις, τὸ πάσης ἔχον τῆς φύσεως ἀρχὴν, καὶ τέλος (φύσις *partium appellat, quoad participare poſſunt informatione animæ) nempe cor ipſum erit, quod principiũ uitæ eſt, & cum quo totũ etiam animal eſt, ut finis generationis, ſimul utriſq; exiſtẽtib.* τοῦτο *(id eſt cor)* γίνεσθαι πρῶτον ἀναγκαῖον. ᾗ μὲν κινητικὸν πρῶτον. ᾗ δὲ μόριον τοῦ τέλους, *ſeu* τοῦ ὅλου *(id eſt totius animalis)* μετὰ τοῦ ὅλου. *Simul .n. ſunt, et ſimul nõ ſunt, cor, & animal.* ὥστε τῶν μορίων τῶν ὀργανικῶν, ὅσα μέν ἐστι γεννητικὰ *(ut ſecundũ nos, eſt uenoſum genus, ſecundũ Ariſto: cor ipſum)* τὴν φύσιν ἀεὶ πρότερον δεῖ ὑπάρχειν αὐτά. ἄλλου γὰρ ἕνεκα ἐστὶν, ὡς ἀρχὴ, ὅσα δὲ μὴ τοιαῦτα, τῶν ἄλλων ἕνεκα, ὕστερον. *Examẽ illud eſt, ut ex multis partibus, quodnam ex omnibus principatum ſibi uendicet, deprehendere ualeamus.* Διὸ οὐ ῥάδιον

*διελεῖν πότερα τῶν μορίων, ὅσα, ἄλλου ἕνεκα, ἢ οὗ ἕνεκα, ταῦτα.* In partib. animalis ſunt quædam, cuius gratia, aliæ partes dicuntur eſſe, ſic uentriculus, propter uenas, & uenæ, propter nutritionem ſimilarium partium, ſimilares, propter organicas, organicæ, propter conſtitutionem uniuerſi animalis, dicuntur. At uerò an cor ſit propter organa ſenſus & motus, aut, an organa hæc ſint propter cor, non facile poteſt iudicari. Primum eſt organum, quo generantur alia, prima autem non ſunt, quæ alterius operis, & effectus cauſa exiſtunt, ut cor, eſt cauſa ut omnia alia ſint, ſed alia, ſuo quoduis officio eſt deſtinatum, ut organa motus & ſenſus, non uiuificant, & uegetatricis animæ organa non principalibus energijs definiuntur, ut uentriculi uel Hepatis. De uſu partium, apud Galenum, quænam prior pars aut poſterior ſit alia, explicatur. Organa motus animalis (Ariſtoteles κινητικὰ appellat) reſpectu eſſentiæ totius animalis, & cordis etiam ipſius, dubitatur utrum ſint habenda pro prioribus γενέσει, an uerò pro prioribus φύσει. Quia non ſunt τῆς οὐσίας γεννητικὰ, τὴν φύσιν, numeranda pro his erũt, quæ φύσει ſunt ὕστερα, quamuis γενέσει nõ ſint πρότερα. Nam finis alterius ſunt gratia, habentque rationem τοῦ χρησίμου, καὶ ᾧ χρῆται τὸ τέλος, ut hac ratione poſterius quiddam ſint principali, ut inſtrumentum eſt eo, quod utitur ipſo, nempe ut ijs totum animal, & cor ipſum incolume conſeruetur, de quo dictum ſupra. Poſtrema autem organa hæc perficiuntur, quia animali non niſi poſterius his opus eſt. Deinde κινητικὰ Ariſtote. (quæ primò mouent, ſic appellando) diſtinguit contra eorundem organa. Vt principium mouendi & ſentiendi nos adſcribimus cerebro, cuius organicæ partes, ſint, nerui, muſculi, & compoſiti ex his articuli, quibus mouetur corpus.

Similis ratio eſt organorũ, (quæ multa ſunt) quibus princeps unus ſenſus utitur. Principatus uegetatricis eſt in corde, ut τῷ πρώτῳ κινητικῷ. Quæ ſint organa ipſius, notum eſt. At quorum πρώτων κινητικῶν, quænam, aut qualia ſint ὄργανα οὐ ῥᾴδιον διελεῖν. Ariſtoteles omnium πρῶτον κινητικόν cenſet eſſe, Cor ipſum, ἀκινησίαν cerebro adſcribens, quod tamen alienum ſit à uero. Galenus cenſet Hepatis organa eſſe uenas, & carnem ipſius Hepatis, eſſe πρῶτον αἱματοποιητικόν, quod ipſum haud facile ipſi conceſſerim. An ſplen etiam organum ſit Hepatis an uero uenæ portæ οὐ ῥᾴδιον διελεῖν, in his tamen ſemper conſiderandum, quæ priora, aut poſteriora ſint γενέσει. Nam poſteriora, prioribus uidentur famulari, ſi utentis, & eius quo utitur diſcrimen cõſideretur. Quod ad finientem pertinet, quæ eſt, οὗ ἕνεκα, nonnunquam, & in nonnullis poſterior pars γενέσει eſt, in quibusdam autem, prior γενέσει, ut cor in animalibus, καὶ διὰ τοῦτο πρῶτον μὲν τὸ ἔχον ἀρχὴν, γίνεται μόριον, εἶτ᾽ ἐχόμενον, τὸ ἄνω κύτος, Διὸ τὰ περὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὰ ὄμματα μέγιστα κατ᾽ ἀρχὰς φαίνεται τοῖς ἐμβρύοις. τὰ δὲ κάτω τοῦ ὀμφαλοῦ, οἷον τὰ κῶλα, μικρά. τοῦ γὰρ ἄνω, τὰ κάτω, ἕνεκα, καὶ οὔτε μόρια, τοῦ τέλους (infernæ ſcilicet partes) οὔτε γεννητικὰ αὐτοῦ, Organa tamen hæc poſtrema, etſi γενέσει ſint poſtrema, tamen φύσει non ſunt prima, quum non ſint γεννητικὰ τοῦ τέλους, ὥστε τῶν μορίων τῶν ὀργανικῶν, ὅσα μὲν ἐστι γεννητικὰ τὴν φύσιν, ἀεὶ πρότερον δεῖ ὑπάρχειν αὐτὰ, ἄλλου γὰρ ἕνεκα ἐστὶν, ὡς ἀρχή. ὅσα δὲ μὴ τοιαῦτα, τῶν ἄλλων ἕνεκα, ὕστερον. Omnino igitur diſtinguenda hæc ſunt organa, quoad nimirum quædam alterius ſunt gratia, nonnulla autem ſunt, quorum cauſa, alia dicuntur eſſe. Vt cor, quatenus eſt ἀρχὴ & γεννητικόν, organon eſt efficiens alterius, & nihilominus ipſum

ut fini-

*ut finiens cauſa, & pars principalis* μετὰ τȣ̃ ὅλȣ, *eſt, gratia cuius conſeruandi reliqua exiſtant organa, ut ambiguum ſit, utrum numerari debeat in his, quæ ſunt* τȣ́τȣ ἕνεκα, *an uerò in his, quæ ſunt* ȣ̃ ἕνεκα. *Quatenus enim eſt* κινητικὸν, *ipſum cor, hac ratione* γενέσει *prius eſt, organis perfectum animal conſtituentibus, quod ipſum totum, finis eſt animalis, cùm alioqui cor, ſit prius* φύσει, & ȣ̃ ἕνεκα, *reliquorum organorum. Quò reſpiciens, dicit* Ariſtoteles: Παρεμπίπτει γὰρ τὰ κινητικὰ τῶν μορίων πρότερα ὄντα τῇ γενέσει, τȣ̃ τέλȣς. *Si quæ præterea ſunt in hoc textu* Ariſtotelis *ſatis abundè me arbitror interpretatū.* Multis *his & uarijs diuiſionibus uſus eſt partium animalis* Ariſtoteles, *ut mōſtret cor in organis eſſe, ut* πρῶτον κινητικὸν *& cauſam animationis totius corporis, et præterea finientem quoq; cauſam eſſe, gratia cuius omnia reliqua conſtructa ſint organa. De ſtructura, & comparatione organicarum partiū ſatis dictum, & de differentijs ſubſtantialibus ſimilarium partiū, quorum* φύσιν ὁ πλαστικὸς λόγος *architectatur, ut animationis poſsint eſſe participes. At differunt etiam partes illæ quibusdam qualitatibus, quibus pati aliquid, aut non pati poſſunt* κατὰ φύσιν, *& uſus gratia, ut quatenus quædam ſunt duræ, quædam molles, fibroſæ quædam, aut non, tenſiles, aut non, raræ, aut denſæ, flexibiles, aut non, de quibus ſupra dictum, quòd effectus quidam ſint qualitatum quatuor primarum, quarū duæ ſunt patibiles, ut humiditas, & ſiccitas, & duæ actiuæ, ut caliditas & frigus.* Propter *elementa ex materia* τȣ̃ κυήματος *tales differentiæ ſimilarium partiū efformantur. Eſt autem materia ſpermaticus humor, ex quo generãtur ſpermaticæ partes, et ſanguineus, è quo generãtur ſanguineæ partes.* Nec eſt

Quibus cauſis generentur partium ſimilarium patibiles ſecundæ Qualitates.

*uerum quod opinantur quidam partes ſimilares concreſcere, quia ſimilia ferantur ad ſimilia, ut oſſea aggregari ſi formandum ſit os, & neruea colligi, ut ex his neruus concreſcat.* Ita ſentit Hippo: *in libro de natura pueri, quod ut falſum, refellit* Ariſtote: *libro* 2. de Generatione animalis: Idipſum *tamen ſic interpretati ſunt quidam (ut teſtatur* Ariſtoteles) *ut latio hæc ſimilium ad ſimilia non referatur ad motum localem, ſed ad motum alterationis, quo mouentia quoq; differentias has formarum induant, dum qualitatib. his primis & ſecundis alterantur.* Nam *quæ ſimiliter alterantur, ſimilibus etiam formis & naturis perficiuntur. quando nimirum ex* δυνάμει *talibus, cauſa materiæ, fiunt actu talia, ut primò tamen fiat, primum, nempe cor (ut fert ſententia* Ariſtotelis) *tum reliqua poſterius.* Γίνεται γὰρ πρώτη ἡ ἀρχή. Cor *enim ut ultimò moritur, ita ipſum primò naſci oportet, partium autem diſcretio non fit ſpiritu quodam ſeparante eas (ut uiſum* Hippocrati *fuit, qui in pleriſq; materiales cauſas allegat, & tacitè perſtringitur etiam ab* Ariſtotele) *ſed* πλαστικῷ *ſeparatur* λόγῳ, *quando de potentia ad actum partes deducuntur. Tametſi ex neceſſitate etiam ſpiritualis ſubſtantia generetur multa, quam generari oporteat ſi calor agat, & humidum ipſum patiatur à calore.* Itaq; *materiæ partes ſic formari ſpecie ſimilarium partium oportet, & alterari his motibus, quibus poſterius ipſis inſint tales qualitates, de quibus paulò ante diximus.* Κυήματος *materiam duplicem eſſe ſcribit* Galenus, *nempe ſpermaticum humorem, & ſauguinem menſtruum,* Ariſtoteles *cenſet dumtaxat à muliebri ſexu ſuppeditari materiam, nempe menſtruum ſanguinem, de quo aliâs diſſeremus. Cor igitur, licet ſit primum organum, & cauſa ſit uegetatricis animæ ſecundum* Ariſtotelem, *aut ſecun-*

cun-

cundum nos, uenoſum genus, & ſecundum Galenum, Hepar, in his tamen modò dictis efformandi reliquas partes ineſt facultas, ſed omnium tamen ſimilarium & organicarum partium φύσις efformat, ſpermatis plaſtica δύναμις uariè alterando & tam diſsimiles ſpecies procreando è ſpermatica materia, partes ſpermaticas, & menſtruo ſanguine, ſanguineas generando. Vt autem materia habilis eſt ad patiendum, ſic λόγος πλαστικὸς efficax eſt ad agendum & efformandum alterando partes tum ſimilares, tum organicas. Eſt autem is λόγος, quodammodo ἄϋλος, ut à quo ſemen paratur & proficiſcitur, & ἔνυλος, nempe anima corpus ipſum animatum conſtituens, cuius quaſi inſtrumentum eſt (ut ſupra docuimus) σπερματικὸς λόγος. Animati corporis partes nutriuntur, aut ſpermatico humore, aut ſanguineo, dum uidelicet alteratione hac uterq;, tanquam nutrimentum, permutatur in ſpeciem & οὐσίαν cuiusq; ſimilaris partis, ut ex humore ſpermatico fit aßimilando, ſubſtantia uentriculi, quoad ſimilaris eſt, & ſubſtantia cerebri, & neruorum, & membranarum, & oßium, & cutis, dum alterando humorem illum, agens & efficiens, animata particula, eadem natura materiam nutrientem ſibi aßimilarit. Quæ uis ſanè aßimilandi non poteſt eſſe niſi in animato corpore, quæ energeia nimirū propria eſt ipſius uegetatricis animæ. Naturam ſeu formam ſubſtantialem (quam philoſophi, λόγον, appellant) omnium quæ κατὰ φύσιν inſunt accidentium, cauſam eſſe conſtat inter omnes eruditos phyſicos. Item, quòd neceſſe ſit ſubſtantiam produci, à ſubſtantia, & animatam ſubſtantiam, ab animata. Inanimatæ etiam, ut Metalla, aut Gemmæ, à cœleſtibus corporibus animatis procreantur, ut per ſe ab inanimato corpore, nulla uideatur poſſe generari

*ſubſtantia, quòd uidelicet inanimatum aſsimilandi uirtute & efficacia careat, ut naturæ inanimati corporis, etiã animatum corpus primordium & cauſa eſſe uideatur.* Plato *enim* ψυχὴν, *quaſi* φυσέχην, *dictam arbitratur, corpoream quaſi ipſa contineat & gubernet naturam, proinde ſupra oſtendimus, omnium propriorum* παθῶν *& accidentium principium eſſe & cauſam,* τὸν λόγον, *id eſt, formam rei naturalis quæ definitione exprimitur, ut quæ medium ſit demonſtrationis, non autem definitio ſubiecti medium eſt, ut abſurdo* Simonio *& demonſtrationum ignaro uidetur, quæ definitio ſubiecti principium quidem ſit demonſtrationis, ſed non cauſa ſeu medium ſit demõſtrationis, de quibus dictum in* Analyticio. Quamuis Democritus *ſemper & perpetuò uerorum, ut principiũ ita quoq; cauſam nullam demonſtrationis arbitratur eſſe.* Ergo *omnium quæ cordi propriè inſunt,* λόγος *ipſius eſt in cauſa, & quæ pro pria cerebri,* τῷ λόγῳ *formæ & eſſentiæ ipſius demonſtramus.* Idem *ſentiendum de cæteris partibus animati corporis.* Et *quòd uegetatrix anima cuiusq; partis ſimilaris, aſsimilat ſuæ ſubſtantiæ ſuum nutrimentum. in cauſa eſt cuiusq; partis forma ſubſtantialis, quæ eſt* ποιητικὸς λόγος *alterando nutrimentum uſq; dum nutrito fiat ſimile.* Adſcribimus τοῖς λόγοις ἐνύργοιν, *quæ actio dicitur, quæ neceſſe eſt ut terminetur in patiente corpore.* Terminatur *autem bifariam.* Aliquando *enim in patiente ſubiecto ineſt ſine motu, ut* λόγος *& energeia ſenſilium rerum in ſenſibus, ſine motu & alteratione, ut autor eſt* Ariſtoteles *libro ſecundo de anima.* Quando *autem* λόγος θρεπτικὸς *in ſe habere actionem dicitur, ea ſcilicet in patiente terminari nequit ſine motu alterationis, & hoc nomine* ποιητικὸς *appellatur talis* λόγος *quo nimirum alterãte, ſubſtantia quædam creatur à ſubſtantia animata prius exiſtente, ut efficiens, &*

*effectũ, ſint idem, τῷ εἴδει quamuis τῇ μορφῇ non ſemper ſint idem, ut ſi agens nõ fuerit ὁμοειδές. Vt ſanitas, qua curat Medicus, & qua curatur ægrotus, ſunt τῷ εἴδει una ſanitas, quia definitio eſt una, ſed quæ in ægroto eſt ſanitas ea, μορφὴ quędã eſt, & ἔνυλον quiddam, in medico autem, ſanitas, eſt ἐντελέχεια tantũ, & εἶδος quodãmodo ἄϋλον, & quod efficiens ſit τοῦ ἐνύλου λόγου ſeu μορφῆς, quæ eſt in corpore ſanitas. Homo, dicitur hominẽ generare ratione maſculini ſexus. Vtriusq; gignẽtis ſc: & geniti εἶδος, eſt μορφὴ quędã, & ob id ὁμοειδῆ agens & patiens appellãtur. At generans, inſtrumẽto τοῦ σπερματικοῦ λόγου dicitur generare, qui λόγος ἄϋλον quodãmodo εἶδος, ποιητικὸν τοῦ ἐνύλου εἴδους. Cæterum cõſtat, τὸ πνεῦμα, πλαστόν quiddã eſſe, ſed ſperma, πλαστικὸν & κινητικόν quiddã eſſe, ſed nõ primũ, uerum inſtrumentale ſeu organicũ, quod in medio ſit, primi efficientis, & eius quod efficitur materiæ. Inſtrumentale agens ſeu efficiens ſupra oſtendimus, primi agentis quaſi actũ ſecundum cenſemus eſſe. Primus .n. actus ſine ſecundo non eſt efficax ad mouendũ. Vt τὸ ὁρατόν, primus eſt actus, eius ſecundus actus eſt energia quæ diffunditur in pellucido medio. Primus actus eſt partib. diuiduus, actus ſecundus eſt τοῦ ὁρατοῦ, quaſi ἄϋλον quoddam εἶδος, quo afficiuntur oculi, & uiſio excitatur, partib. indiuiduũ εἶδος quoddã, quo actu ſecundo, primus τοῦ ὁρατοῦ actus conſpicuus eſſe dicitur, ut per indiuiduũ huius actum, primi actus partes omnes actæ uiſionis apparent. Eidẽ ſimilis eſt generationis, corporis animati actus. Nam primus in generatione actus eſt, animatũ corpus generãs, partib. diuiduũ. Secundus actus eſt, σπερματικὸς λόγος, quo tanquam ἀΰλῳ ὄντι, primus dicitur ποιητικός, Tertius autem eſt animatũ corpus ipſum generatum, generanti ſcilicet idem τῷ εἴδει exiſtens, ſed medio inſtrumento ἀΰλου εἴδους generãs ἔνυλον εἶδος, cuius tamẽ ἀΰλου εἴδους ἐνέργεια, ſit*

*ποιητικὴ*, & non ſimpliciter *ἐνέργητικὴ*, ut in *ὁράσει* eſſe conſueuit, quæ nullo motu uel alteratione ſcili: ſuam energiam complet. Eſt *ὁρατὸν* reſpectu actus ſecundi, *δυνάμει* præditum, & actus *τοῦ ὁρατοῦ* ſecundus, reſpectu oculorum, *δύναμιν* habere dicitur, qua poßit excitare uiſionem, afficiens autem actus ille oculos, eſt *ἀκρότατον αἴτιον τῆς ὁράσεως*. Simili modo *σπερματικὸς λόγος*, *δυνάμει* dicitur eſſe, quando *ποιήσεως* actu nihil adhuc facit aut mouet, ſed actu tum dicitur eſſe, quando *ποιήσει* ſua generat aliud animatum corpus, quoniam ſperma, non eſt quoad eſt *τόδε τι* quiddam, ſed quoad eſt *τῇ ποιήσει ἢ κινήσει ἐνέργητικὸν* quiddam. Nam differunt, Artifex, quatenus habitu facere ſeu *δυνάμει*, & quatenus actu ſeu actione ſua efficit quidpiam. Actione enim Architectus, & non habitu, dicitur ædificare domum, & ſperma, non habitu, ſed *ποιήσει* dicitur efficiens animati corporis, ut omninò actu, ſperma, ſine actione non poßit eſſe aut intelligi, cùm ipſum per ſe *τόδε τι* quiddam, & abſolutum, non exiſtat. Maſculinum ſperma, ſi non ſit *χωριστὸν*, non niſi *δυνάμει* dicitur eſſe. Et *χωριστὸν*, in utero muliebri ſperma non erit actu, ſi generando & efformando *κίνημα* non fuerit efficax & *ποιητικόν*. Fructus eſt, & non ſemen, quod *χωριστὸν* reconditur. Ex quo aliud animatum naſci poteſt, *δυνάμει*, ſed propinqua, ſemen dicitur, actu autem ſemen, ſi efficiens ſit alterius animati. Natura *λόγον ποιητικὸν* ſeu *πλαστικὸν* in exili ſeminis corpuſculo incluſit, quòd uidelicet partium, ut *ἄϋλος*, expers, ad *ἔνυλον* corpus generandum ſit efficax, eisdem motibus generans animatum corpus, quibus ipſum ſeſe uegetando motibus nutricationis conſeruat corpus animatum. Nam animatum corpus in ſemine tanquam organo ſuo, potentiam hanc *ποιητικὴν* ingenerauit, atque

indu-

*incluſit, ut materiam ſuam, nempe κύημα, ad perfectionem hanc animati corporis perducat, qua, potẽtiæ gratia poßit animæ entelecheia efformari, quamuis ipſum ſemen expers ſit animæ, ab animato tamen generatũ quiddam exiſtit, ac non niſi propter generationis energeiam ſemen appellari conſueuit. Vt autem materia nutricantis animæ habilis eſt ut in ſe recipiat animationem omnium nutriendarum partium, & earundem differentijs informetur, ſic materia eadem, περιττώματος habens rationem, conſtituit κύημα, τῷ σπερματικῷ λόγῳ ſeſe efformandam exhibet, quandoquidem eadem exiſtens, eisdem etiam alterationibus mobilis erit, eædemq́; partes animati corporis τῷ πλαστικῷ λόγῳ τοῦ σπέρματος generatione animati producentur. Quibus locis foueantur ſemina, ut ſuas generando κυήσεις perficiant plura dicere ſuperſedebo, quæ ſtudioſus lector ab Ariſtotele requirat. Conſtat enim quale ſit diſcrimen inter ζωοτοκοῦντα, & σκολητοκοῦντα, & ᾠοτοκοῦντα. Quod fotu terræ ſtirpium ſemina effloreſcant, manifeſtum eſt. Quòd ſemina arborum, & fruticum, ſint ἀχώριστα, nemo ignorat, Et quòd in radicibus etiam herbarum genitalis inſit uigor, nemini opinor obſcurum eſſe. Organũ eſt ποιητικὸν ſemen, quo κύημα in corpus organicum, & mox animandum, efformatur, & ab animato corpore quidem ſemen ipſum generatur, & ipſum ſemen uiciſsim animatum corpus poteſt producere. Ex multis autem partibus τῷ λόγῳ productis, quæ prima pars, ſit animationis particeps, qua cœteras etiam partes animari ſimul contingat, ſupra eſt expoſitum. Quando igitur ὁ λόγος σπερματικὸς ut agens, & efficiens, & κύημα, tanquam materia contigua, hoc modo fuerint, ut nihil amplius impediat quo minus hoc ſit ποιητικὸν, & illud ſit παθητικὸν, tum neceſſe*

*eſt huius actione, & illius paßione generari corpus animatum uel animal, & organo ſubſtantiæ, ſubſtantiam, & organo animati corporis, animatum corpus, & animalis inſtrumento, neceſſe eſt animal propagari. Cæterùm οἱ λόγοι οὐσιώδεις, quòd producant non modo formas ſubſtantiales, ſed etiam omnia quoq; accidentia naturis rerũ congruentia, aliâs ſupra fuit demonſtratum. Non enim ſi quid producit calidũ aut frigidum, humidum, aut ſiccum, ipſum quoq; qualitatibus his præditum eſſe oportet, ſiquidem eſſentiam & generationem οὐσιῶν, definita τοῖς λόγοις accidentia ſubſequantur. Vt ſi cordis efficiens eſt plaſtica facultas, eadem quoq; efficiet omnia illa accidentia, quæ cordis ſunt propria. Idem de cæteris partibus ſentiendũ, omnium enim (ut Ariſto: inquit) τῶν κατὰ φύσιν ὄντων, ἀρχὴ, ὁ λόγος, Elementa autem ſunt horum materialis cauſa. In omni enim generatione, tria ſunt, nempe quod efficit, & ex quo, & quod efficitur. Eſt autem Sperma quiddam generatum à corpore animato, continens in ſe omnes δυνάμεις quodammodo ἀΰλως efformandi φύσιν corporis organici, & uitam δυνάμεως gratia habentis. Vt autem inſtrumentum animati corporis (ut ſperma) mouet iiſdem motibus materiam κυήματος, quibus anima mouet materiam illam in nutricatione, non enim eſt τὸ πρῶτον κινητικόν ſperma, cùm ſit organon, primi κινητικοῦ quod omnes ſuas δυνάμεις tranſcribit ipſum generanti, & cuius adminiculo etiam ἡ φύσις ἀπ' ἀρχῆς βαδίζει, πρὸς ἀρχήν.* Ἀρχὴ γὰρ, τὸ οὗ ἕνεκα, καὶ ὅτι τὰ τῇ γενέσει ὕστερα, τῷ εἴδει, καὶ τῇ οὐσίᾳ πρότερα, καὶ ὅτι ὥσπερ διαυλοδρομούσης καὶ ἀνελιττομένης τῆς φύσεως ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ὅθεν ἦλθεν βαδίζει.

Metaphy: lib. 9.

Ariſto: lib. 2. de Genera. Animal.

Nullum autem corpus animatũ ſine ſemine & genitali hu-

more

*more naſcitur, quorum animatorum cauſa ſit cœli uigor, quo animata ſemina excitantur & in terra, & in aquis, in materia quadam, quæ ſit inſtar* πνεύματος, θερμότητα ψυχικὴν *illam excitans, qua, ut quodam ſpermate, poſtea ſtirpem, aut animal generari accidat,* ὥς τρόπον τινὰ, πάντα ψυχῆς εἶναι πλήρη, *nam plurima, ſponte naſcuntur. Anima igitur ſeipſam conſeruat nutricando, ſed ſemine ſuo, non ſeipſam conſeruat, ſed ſimilem in ſpecie propagat generando prorogans perpetuitatem. Semen autem eſt actus ſecundi animatorum corporum inſtrumentum, è potentia, in actum materiam* πνεύματος *deducens, & ex non animato, animatum efficiens. Propagatio autem hæc adſcribenda eſt* δυνάμει *animæ nutricantis, & non ſentientis, aut mouentis in loco. Vna autem, & eadem materia eſt, qua adoleſcit, & qua per generationem propagatur animatum, idem quod eſt efficiens. Nam Anima nutricans, & propagatrix, una eſt, tametſi rationibus differant, & eſt* φυσικωτέρα, *propagando, quàm nutriendo ſit* θρεπτικὴ ψυχὴ *Qua ratione* τὴν ποιοῦσαν *ſeu* γεννῶσαν, *maiorem & præſtantiorem appellat Ariſtoteles, ad hunc ſcribens modum.* ἡ γὰρ αὐτή ἐστιν ὕλη ᾗ αὐξάνεται καὶ ἐξ ἧς συνίσταται τὸ πρῶτον. ὥστε καὶ ἡ ποιοῦσα δύναμις (ἤγουν τὴν θρεπτικὴν, καὶ γεννητικὴν) ταὐτὸ, τῷ ἐξ ἀρχῆς (ὅτι ἡ αὐτὴ τυγχάνει οὖσα ψυχὴ θρεπτικὴ) μείζων δὲ ἐστιν (καθ' ὃ ὑπάρχει γεννητική. εἰ οὖν αὕτη ἐστιν ἡ θρεπτικὴ ψυχή, αὕτη ἐστὶ καὶ ἡ γεννῶσα. καὶ τοῦτ' ἐστιν ἡ φύσις ἑκάστου (ἐμψύχου) ἐνυπάρχουσα καὶ ἐν φυτοῖς, καὶ ζῴοις πᾶσιν. *Hæc porrò omnia quæ hactenus expoſuimus, quòd* φύσει *ſint talia rationib. dictis manifeſtum eſt, ut horũ principia, ſint alijs principijs indemonſtrabilia. De plaſtica hactenus*

Ariſtot: lib. 3. de genera: Animal.

*facultate ſpermatis non tam quæ nobis, quàm quæ* Ariſto*teli & Galeno uera & conſentanea uideantur, expoſuimus, in quibusdam* Ariſtotelis*, in nonnullis autem* Galeni *ſententiam approbantes. Conſultò autem abſtinuimus ab his explicandis, quorum per ſe ſatis manifeſta doctrina ab his autoribus eſt propoſita.* Quid *enim attinebat illa deſcribere, & in meum transferre librum, ſed dumtaxat eorum, quæ habent controuerſiam, mentionem fecimus, & quæ obſcurius & breuius ab* Ariſtotele *ſcripta, interpretationem quandam requirebant quæ planius declaranda eſſe cenſui, ut ratio & cauſæ* διαπλάσεως *intelligerentur, quas tamen rationes nullas eſſe arbitratum* Democritum, Ariſtoteles *non immeritò reprehendit libro* 2. de Generatione *animalium.* Verumtamen *reprehendendus ipſe eſt* Ariſtoteles *etiam (quod pace tanti uiri dixerim) quod is in* ζωοτόκοις *materiam* τοῦ κυήματος *dumtaxat unam dixerit, eſſe, nempe ſanguinem mulieris menſtruum, ſpermaticum humorem uiri atq; etiam mulieris negans partem eſſe* κυήματος*, in quo quàm ſit hallucinatus, & nonnihil à ſeipſo etiam diſſenſerit, deinceps planum faciemus.* In ζωοτόκοις *animalibus ultimum nutrimentum, quo partes omnes ſimilares nutriuntur, & adoleſcunt, geminum eſt,* Vnum *eſt ſpermaticus humor, quo nutriuntur partes albicantes & ſpermaticæ, quorum differentia nota eſt* Medicis. Al*terum eſt, ſanguineus humor, quo rubentes uegetantur & incrementa ſumunt.* Humor *ſpermaticus generatur & fit à ſanguine perfectiore alteratione, cum priores etiam* γενέσει *&* φύσει *ſint partes ſpermaticæ partibus è ſanguine generatis.* Nam *his adoleſcere deſinentibus, ſanguineæ etiam nullo incremento amplius augentur, & tabe conſumptis, ſimul uniuerſum corpus contabeſcit, ut meritò*

*Galenus paßim hæc* πρῶτα στερεὰ μόρια *appellat. Itaq; quod oßibus adſcribit* Ariſtoteles *&* Hippocrates*, ut ijs adoleſcere deſinentibus, ſimul etiam reliquarum partium adoleſcentia deſinat, id in uniuerſum omnibus è ſpermate generatis partibus proprium exiſtit, cùm calido & humido natiuis, qualitate decreſcentibus ut non neceſſe ſit non nutriri, tamen neceſſe erit non adoleſcere è ſpermate ſeu genitali humore generatas partes, dum nutriendo ijs non plus reponitur, quàm amiſſum ſit igneo & tabifico calore. Rectè igitur* Ariſtoteles *ſcribit, eodem ultimo nutrimento, corpus nutriri, & ipſo eadem tanquam materia, animal (ſi humor* κυήματος *habeat rationem) generari etiam, quandoquidem generatio etiā ad* θρεπτικὴν ψυχὴν *pertineat, de quo paulò antè etiam à me dictum recordor. Sed in eo hallucinans decipitur* Ariſtoteles*, quod neq; partes nutriendas duplici materiæ genere diſtinguit, neq; etiā nutrimentum ultimū partium illarum nutriendarū. Quod ſi geminum fuerit, ut eſſe, probatum modò eſt, ex neceßitate ſequitur, ut* κύημα *etiam ſit compoſitū ex humore ſpermatico, & ſanguine, & non ſolus ſanguis menſtruus ſit materia naſcentis fœtus, ut* Ariſtoteli *uidetur. Confitetur & ipſe* Ariſtoteles*, ſpermaticum humorem eſſe* περίττωμα*, non minus atq; ſit ſanguis muliebris, quòd ſi utile ſit* περίττωμα*, ſequitur materiam formando fœtui utilem & neceſſariam eſſe. Quod ipſum fatetur etiam, quando oſſa, & neruos ex eo naſci ſcribit, ut quando inquit,* ἡ μὲν οὖν τῶν ὀστῶν φύσις, ἐν τῇ πρώτῃ συστάσει γίνεται τῶν μορίων ἐκ τῆς σπερματικῆς περιττώσεως. *Quòd ſi oßium materia eſt* σπερματικὴ περίττωσις*, quid inſit etiam neruorum, membranarum, ligamentorum, tendinum, cerebri, ſtomachi, & inteſtinorum omnium, cum uenis & arterijs talis materia*

generationis, quæ cum non rubeant, inſtar carnoſarũ conſentaneum ſit, non generata eſſe ex ſanguine, ſed ſpermatico humore, ut rubentia generata ſint ex humore ſanguineo. Deinde Ariſtoteles (credo, me herclè, propter Anatomiæ ἀπειρίαν) generari ſenſus inſtrumenta ſcribit ex puriſsima materia, ſed quænam illa ſit non declarat, ut dubiũ ſit an ex puriſsimo ſanguine, an uerò ſpermatico humore puriſsimo, cùm utrũq; agnoſcat humorẽ περιττωματικόν. Ex huius purioris quaſi reliquijs deinde, quæ & ipſa etiam ſint quaſi περιττώματα purioris, ignobiliores partes naſci, ut oſſa, neruos, & pilos, et ungulas cenſet. Quòd ſi neruorũ principiũ eſt cor, ut ipſe ſcribit, nec nõ etiam uenarũ & arteriarum, qui poterunt cum ignolibus reliquis numerari, cùm ſine neruis ſenſus omnes nihil percipiant, & ſine uenis & arterijs, nihil nutriatur? An caro naſcetur ex puriſsima & concoctiſsima materia, quàm ſanguinis affluxu generari, curatio uulnerũ declarat. Sic autẽ diſputando Ariſtot. non modò manifeſtè ueris: ſed ipſe ſibi fidem derogat, ut ex his quæ diximus, liquet. Muliebre ſperma negat eſſe, ſed Anatomia in mulierum corporib. etiam teſtes eſſe, compertiſsimum eſt. Quòd ſi teſtes, etiam ſpermaticũ illorum humorẽ generando fœtui utilem eſſe oportebit. Nihil enim fruſtra architectatur natura. At ne maſculinos quidẽ teſtes, ad procreandum neceſſarios, niſi παρέργως, ſtatuit Ariſtot:. Quo manifeſtũ eſt, ſecundum Galenũ, ipſum Ariſtotelem ἑτέραν ἄγνοιαν ἀναλομένην, ἀφ᾽ ἑτέρας ἀγνοίας συνάπτειν. Non omnia, inquit ille, poſſumus omnes, In cæteris ſummus philoſophus exquiſitiſsmis rationibus demonſtrat uim & naturã plaſticæ facultatis, ut nemo melius aut doctius iſta explicuerit. Proinde ut anima, ut primo mouente, ita quoq; plaſtica facultate, ut inſtrumento ex ultimo nutrimen-

*trimento, tanquam materia, ſimilarium & organicarum partiũ, ſubſtantiæ, & figuræ, & temperamenta efformantur, quoniã eſſentia & ſubſtantia ſine proprijs accidentib. efformari nequit, quòd natura ſc. ſeu ὁ λόγος, principium & cauſa ſit omnium quæ naturali ſubſtantiæ per ſe inſunt, de quo dictum aliâs ſatis ſuperq; eſt. Quæritur deinceps quænam ſit cauſa quòd fœtus ſuis parentib. interdũ ſimiles aut diſsimiles ſint figuris, aut temperamentis, ut ex toto, uel ex parte quadã. Quib. ſit aliquid, eorũ tres ſunt differentiæ cauſarũ, Materia ſc. efficiens, et finis, Finiens generationis cauſa eſt, forma ſubſtantialis generatæ rei. Efficiens eſt, plaſtica facultas, materia eſt, κύημα compoſitũ duobus humorib. ultimæ materiæ, ut diximus. Determinatæ figurarum, & temperamentorũ ſimilitudines, aut diſsimilitudines, non finis gratia, ſed neceſsitate materiæ generantur. Effectrix porrò cauſa eſt plaſtica facultas, quæ ſine materia nihil poteſt efficere. Humorem ſpermaticũ in muliebri ſexu, uſum habere materiæ, liquidò conſtat, ſed an efficientia quædam ipſius ſit plaſtica, ut maſculini ſexus eſt, an dumtaxat, ut materia, ad formandũ fœtum faciat, in præſentia eſt inquirendum. Quòd non ſit efficiens fœtus cauſa ſeu generationis ποιητικόν inſtrumentum, ex eo perſpicitur, quòd fœcunditas ipſius nulla ſit niſi cum maſculino ſpermate miſceatur. Quòd ſi ambo ſpermata per ſe plaſtica & κινητικὰ eſſent, commune ſc. quoddam utriusq; εἶδος exiſteret unũ, ratione cuius plaſtica uis ipſis ineſſet, cùm unius non ſit niſi una per ſe cauſa in quolibet genere cauſarum. At commune nullũ eſt, εἶδος, alioqui utriusq; tam ſeipſo fœmininum, plaſticum eſſet, quàm maſculinum eſt ſperma ſeipſo ποιητικόν. At fœmininum, ſeipſo non eſt, quamobrem ex neceſsitate mouendi & generandi principium, in ſolo erit maſcu-*

Quæ cauſa ſit quòd ſimilis aut diſſimilis ſit proles parentibus.

*lino ſpermate, cùm duo πρῶτα κινητικὰ non poßunt eſſe, ſi non quodam uno primo participent, ut modò diximus.* Dumtaxat ergo *materiæ, & non efficientis cauſæ rationẽ habebit fœmininum ſperma, ex quo, & maſculino mixtis, formari ſpermatica organa, oſtendimus, quemadmodum materno ſolo ſanguine formentur ſanguineæ partes ſimilares.* Quæ *cùm ita ſe habeant, deinceps explicanda nobis eſt cauſa ſimilitudinis & dißimilitudinis genitorum, quam habent reſpectu generantium.* Quæ *cauſa quamuis eruditè & diſertè à Galeno in libro altero de ſpermate, & ab* Ariſtotele *etiam libro 4. de* Generatio: Animal: *ſit expoſita, tamen quia propter breuitatem* Ariſtotelis *ſunt obſcuriora quædam, paucis & planius perſtringam præſentem diſputationem, quò melius intelligantur omnia, quæ apud utrumq; autorem ſcripta reperiuntur.*

Quodnam *diſcrimen ſit* Maſculini, *& fœminini ſexus, & in utroq; ſpermaticus humor, quem uſum & finem habeat, ſatis abundè eſt declaratum, in ſpermate maſculino quòd inſit λόγος ποιητικὸς ſeu κινητικὸς uerum inſtrumentalis, & quòd primũ efficiens ſit eius eſſentiæ, corpus animatum, ſc. ſeminis inſtrumẽta generans & mouens, & alterando efformans materiam πνεύματος, dictum & expoſitum ſupra.* Proinde *λόγον σπερματικόν, non eſſe ſeparatam quandam mentem, neq; etiam ſimpliciter ἔνυλον quoddam εἶδος ut anima eſt, ſed quaſi inſtrumentum animati corporis, quo ſpecies & naturas omnium partium ſimilarium & organicarum ex ultimo nutrimento redundantibus humoribus architectatur, ſpecies ſcilicet eas omnes in ſe ἀΰλως continens, quales ſunt ἐνύλως in generante ipſo, & poſtea in genito ſiquidem generans ipſum fuerit ὁμοειδὲς eſſe dicimus.* Cæterum *λόγος hic, quomodo rationem*

habe-

*habeat actus ſecundi, qui eſt* ἐνέργεια *&* κίνησις *quædam, reſpectu tertij, quod analogia quadam ſupra adumbraui-mus.* Inſtrumentum autem, ſeipſo, non eſt aliquid, aut per ſe τόδε τι quoddam, cùm alicuius ſit, nempe animati corporis, à quo etiam ſuam habet eſſentiam. Fieri enim nequit, ut animatum ab inanimato producatur, cùm ψυχικὴ θερμότης, analogia reſpondeat cœleſti corpori, cui eſſe ſuum inferiores naturæ tranſcribunt. Verum in præſentia loquimur de uegetatrice anima perfectorum animalium, in quibus φυσικώτατον illud eſſe dicimus, ut unumquodq; generet ſibi ſimile in ſpecie. Alioqui ſunt etiam inutilia περιττώματα, quorum cauſa animalia, ex animalibus generantur, ut pediculi, pulices, quorum propagatio ſit diuerſa ab ea, quæ perfectis animalibus adſcribitur, & qua ſimilia producuntur à ſimilibus. Hoc loco producens & productum ſimilia non propriè dicuntur, ſed quoad ſimilitudo ſignificat identitatem in ſpecie ſubſtantiæ, quæ non ſimilia ſed idem ſpecie ſimiliter dicuntur eſſe. Etenim ſimilia non ſunt ἁπλῶς, ταὐτὰ, ſed τοιαῦτα quædam. Vt ſi quod naſcitur, patri aut matri ſimile figura corporis totius, aut partis cuiusdam, aut temperamento, dicimus eſſe. Proles autem nonnunquam neutri ſimilis eſt, ſed uel auis, uel atauis, nonnunquam prorſus degenerant, ut nulla ſit ſimilitudo in prole. Horum de quibus dixi, quæ cauſa ſit, quæritur. Duæ ſunt cauſæ, quibus fit aliquid, nempe efficiens & materia. Πλαστικὸς, ſeu σπερματικὸς λόγος eſt ſua κινήσει continens cauſa, ſeu ἀκρότατον αἴτιον generationis formæ ſubſtantialis, ut Hominis, aut Canis, aut Bouis, materia exiſtente ultima, qua nutritur, & adoleſcit aliâs animal generans. Nam περίττωμα huius nutrimenti, eisdem alterationibus πλαστικὸς λόγος alterat, quibus ipſum anima, ſeu animatum cor-

*pus gignẽtis alterabat, cuius uideli. ipſe* λόγος *inſtrumentũ exiſtit, & à quo etiã uim ſuam motricẽ accepit.* Huic er*gò neceſſe eſt, ut* δύναμις *ſua reſpõdeat materia* κυήματος,
Sectio: 5. Apho. 62. *ſine qua nullũ uim habebit ad efficiendũ aliquid* ἀσπερμάτικος λόγος, *quoniã ut* Hippoc. *in* Aphoriſmis *inquit,* ἀποσβέννυται ὁ λόγος, *ſi intẽperato utero ſperma excipiatur.* Nã *efformari* κύημα *nequit niſi ſecundũ naturã facultate plaſtica alteretur, & alterãdo efformetur in* Embryonem, *qui poſtea ut corpus organicũ animari poßit. In hac igitur materia* φυσικὴ δύναμις *inerit, qua poßit ex ea generari, ut uerbi gratia, homo uel bos, ut nimirũ idem ſpecie ſubſtãtiali ſint generãs, & generatũ. Sed ut genitũ, gignenti ſit ſimile figura, aut forma corporis aut temperamẽto, aliam cauſam eſſe oportebit, alioqui nihil dißimile ſuis parentib. naſceretur. Similitudo ergò hæc nõ proueniet ſubſtãtiali hac alteratione, ſed alia quadã quæ accidit formationi fœtus propter materiã utramq; ſpermaticã* κυήματος, *qua,* τὰ πρῶτα στερεὰ μόρια *efformãtur differentib. temperamẽtis quæ ſub ſtãtiali tẽperamento accidũt, ut unũ ſit ſubſtantiæ propriũ, infinita autẽ ſint alia, quæ huic accidũt, ut his etiam tanquã temperamentis, ita quoq; figuris et formis diſcrepẽt, aut ſimiles ſint inter ſe homines.* Infinita *hæc eſt uarietas, quoniã accidẽs ſuapte natura eſt indefinitũ, & uariũ, & inſtabile, & multiplex.* Conſideratur *differẽtia hæc à qualitate materiæ proueniẽs in ſexu ſci. maſculino & fœminino primũ.* Deinde *in uarietate & ſimilitudine formarũ corporis, & figurarũ & temperamẽtorũ.* Propter *temperationẽ materiæ,* τοῦ κυήματος, *quæ nimirũ ſpermaticus humor eſt, et ſanguis mẽſtruus, ſexuũ in fœtu diſcrimina exiſtãt, et ſimilitudines item, ac dißimilitudines, formarũ de quib. dictũ & de quarũ cauſis etiã ut diſſeramus nunc tempeſtiuũ eſſe arbitror.* At *primùm, quamobrẽ ſexu differãt animalia, cauſas*

*differẽtiæ explicabimus. Cõſtat inter omnes, temperamẽto maſculinũ ſexũ, calidiorẽ eſſe fœminino. Refert ergo multùm qualis ſit materia ſpermatica utriuſq; ſexus, itẽ qualis ſit ſanguis maternus, nõ qualis ſit σπερματικὸς λόγος, qui unus idẽq; eſt in omnib. ποιητικὸν ſc. quodãmodo ἄϋλον exiſtens, & alterationis paſſiuæ expers, nempe alterãdo, ipſe inalterabilis exiſtẽs, pro uarietate materiæ ipſum alterare κίνημα dicimus, hac, primùm ſexus differẽtes procreantur. Maſculinus ſexus calidior eſt, & materia ipſius perfectius elaborata & percocta generatur. Propter potentiã autem generãdi actuã, & propter organũ eius potentiæ, quo generare poſſit, maſculũ dicitur animal. Ei oppoſita eſt materia, & impotẽtia, & organõ impotentiæ, ad fœmineũ pertinens ſexũ, qui quaſi cõtrarius eſt imperfectione maſculino. Efficiẽs porrò cauſa, ex materia, ut propter priuationẽ imperfecta, ſi non qualitate impediatur perfectũ quid generat, ut maſculũ. At ſi materiæ ἀδυναμία efficiẽs impediatur ſi generet, tũ contrariũ perfecto, nempe fœmininũ & imperfectũ ſexũ generabit. Imperfectũ autẽ, quaſi corruptio eſt perfecti, qua nimirũ impeditur perfectioris generatio, permutatione in contrariũ imperfectũ. At fœmininũ contrariũ eſt maſculino in generatione animaliũ, quorũ differentiæ ut finiẽtes cauſæ, ſunt neceſſariæ ad generationẽ, tametſi neceßitate materiæ proueniãt, nempe propter materiæ diſcrepãtes craſes. Huius argumẽti quo ſumus uſi, pleniorẽ fidẽ qui requirit, et quaſi τεκμήρια quædã poſtulet, ex Ariſto. requirat, deſcriptis .n. his omnib. nihil eſt opus, in manib. .n. ſunt omniũ doctorũ Ariſt. libri. Formarũ porrò & figurarũ, et temperamentorũ differentiæ, nulla finiente cauſa determinãtur, ut maſculini et fœminini ſexus diſcrepãtia, ſed ſola neceßitate materiæ proueniũt ſimilitudines illæ ac diſsimilitudines. Verũ σπερματικὸς λόγος cũ ſit unus et*

*immutabilis, qui poterit quæſo cauſa efficiens eſſe differentis ſexus, item ſimilium, aut diſsimilium formarum, reſpectu prolis, & parentum? Certum eſt, quemlibet* λόγον *eſſe ſuapte natura definitiſsimum, & per ſe impatibilem, ac potentiæ, qua poßit aliter ſe habere prorſus expertem.* Atq; *ſi* ποιητικὸς *ſit, non niſi ad agendum aliquid eſſe efficacem.* Reſpectu *eius, tanquam actus,* κίνημα, *dicitur eſſe in* potentia, *quæ triplex eſt, una, quoad* λόγος *ei ſpeciem animalis, ut* Hominis, *aut* Canis *ingenerat, qui unus eſt efficientiæ ipſius ſcopus.* Altera *eſt potentia, quæ pertinet ad ſexus differentiam, ratione cuius maſculinum aut fœmininum generatur animal.* Tertia *eſt, qua ſimilis aut diſsimilis parentibus proles gignitur.* Quæritur, *an potentia efficientis cauſæ, ad materiæ diuerſitatem, ipſa quoq; diuerſa eſſe poßit?* Vt *ſi dicam* πλαστικὸν λόγον *pro differentia materiæ producere maſculinum & fœmininum ſexum, & efformare etiam utriuſq; ſexus organa, quibus inter ſe differant ſexus.* Reſpondendum *cenſeo, quòd* λόγος *per ſe, id eſt, ratione eſſentiæ, non niſi unum producere poßit, ut* Homo, *hominem, &* Canis, *canem, ſed per accidens, nempe propter materiæ differentiam accidentalē, maſculinum & fœmininum producit ſexum, non exiſtente differentia hac eſſentiali.* Etenim *producendo ſpeciem & eſſentiam* οὐσίας, *ipſe* λόγος, *materiam alterat, & qualitates generandarum partiū temperat* φύσιν *earum producendo, qua ſint animationis poſtea capaces.* Sed *materiæ huic quoad accidit, ut ſit calidior, aut frigidior temperamento, hac ratione accidit etiam* τῷ λόγῳ, *ut maſculini aut fœminini ſexus animal efformet.* Quo *perſpicitur,* κινήσεις τοῦ πλαστικοῦ λόγου *geminas eſſe, quas* Ariſtoteles *diſtinguit uocabulis* ἐνεργείας *&* δυνάμεως, *quarum illa ſit, quo producatur eſſentialiter*

ſpeci-

*ſpecies in materia, quoad καθόλου ſempiternum, & immutabile quiddam eſt* εἶδος. Altera eſt, *qua producitur aliquid propter materiæ qualitatem & differentiã, ut ſexuum differentiæ, & formarum, propter quas, differentes, & diuiduas & mutabiles dicimus eſſe τοῦ πλαστικοῦ λόγου κινήσεις, ut quæ conſequenter ad differentias materiarum, quæ παθητικαῖς δυνάμεσι diſtinguuntur.* Ambas autem ſic comparatas *inter ſe eſſe, ut* ἐνεργείᾳ *ſcilicet* κίνησις, cõtineat intra *ſe τὰς δυνάμεις κινήσεις, ut quæ accidãt τῇ ἐνεργείᾳ κινήσει.* Manente ſpecie eadem eſſentia, *immutabilis eſt etiam* κίνησις, ἐνεργείᾳ *exiſtens.* Sed *immutabiles ſunt* κινήσεις, δυνάμεις *exiſtentes, ut modo his, maſculus, modò fœmina generetur,* pro *materiæ diuerſitate* τοῦ κυήματος, potentia & *qualitate materiæ determinante* τοῦ λόγου πλαστικοῦ κίνησιν, *qua ratione & ipſe* λόγος δυνάμει κινητικὸς *eſſe dicatur.*

Κίνησις, quædam energeia definitur, ſed quædam δύναμις, quæ accidit exiſtenti ἐνεργείᾳ.

Vt *uerbi gratia,* Ignis, *ſuæ alterationis propria* κινήσει, *per ſe calefacit, & hanc eius per ſe energeian eſſe dicimus.* At *quòd indurat, aut liquefacit, aut elixat, uel aſſat,* δυνάμει *efficientiæ ipſius inſunt, tanquam differentiæ quædam* κινήσεως *propter materiæ patientis diſcrimina.* Et hæc eſt *prima hypotheſis Ariſtotelis, quam, ut cauſam uſurpat, ut demonſtret prædictorum accidentium effectus uarios & multiplices in generatione animalis. Altera eſt, quum materiæ* τοῦ κυήματος *differant* calore, *& frigore,* δυνάμει & ἀδυναμίας, *neceſſe eſt, ut agendo patiendoq́; horum impa-ria ſint momenta, & modò quod calidius eſt, ſuperet frigidius, modò autem à contrario ſuperetur. Tertia eſt, in ſuperantis & uincentis ſuperati* δύναμιν *concedere & quaſi diſſolui, ut aquam, in uini qualitatem, ſuperante quantitate & efficacia uini.* In *his ſuperantibus & ſuperatis, plures ſecundum magis & minus ſunt gradus,* Aliquando tan-

*ta eſt impotentia patientis materiæ, ut efficientis formationi planè non obediat, aut propter ſanguinis multitudinẽ, ut ſi priſtinam formã deponãt* Athletica corpora, *aut propter qualitatẽ, ut accidit in morbo, qui dicitur* Satyriaſis. Quãobrem *ſi paterna materia, uincat qualitate ſua maternam, patri ſimilem prolem naſci oportebit, ſimiliter enim temperatis, ſimilia etiã reliqua accidẽtia, ut formas & figuras ineſſe oportebit.* At *ſi matris ſuperet, in his partib. in quib. figura aut forma exprimitur, matri ſimilis proles generatur.* Similis *ratio eſt, ſi quibusdã patri, aut quibusdã partib. matri ſimilis procreetur.* Vnius *.n. ceßione materiæ, exuperantia potẽtiæ penes alteram erit.* Quædam *.n. partes, plus paterni, aliæ, plus materni ſeminis habent, imbecillius autẽ quantitate uel qualitate ualentiori cedit, & quaſi motus infirmioris ipſius ſoluitur in motum potentioris, quod ipſum* Ariſto: *appellat* λύεσθαι ἐς τὴν ἐχομένην κίνησιν, *qua etiã dicitur* τὸ κρατούμενον, ἐξίστασθαι ἐς τὸ ἀντικείμενον, *pro eo ut figura, patris & matris, hoc loco dicũtur* ἀντικείμενα, *quemadmodũ etiam, maſculinum et fœmininũ* ἀντικείμενα *appellantur, uincẽte ſc. unius, & non cedente alterius materiæ alterationi.* Galenus, *quòd proles interdum quibusdã partib. patri, & nõnullis, matri ſimilior ſit, ſpermatici etiam humoris* ἀνομοιομερείαν *in cauſa eſſe cenſet.* Alioqui *.n. ſi* ὁμοιομερὲς *exiſtat, futurũ ut ex toto, uel patri uel matri ſimilis ſit proles.* Parem *.n. in omnib. fore efficaciam, aut imbecillitatẽ partib.* Hanc ἀνομοιομερείαν *cõſpicuam eſſe ſcribit, quòd nimirũ dum profunditur ſemẽ, pars ipſius prior, aut nonnunquã pars poſterior, tenuior, frigidior, & aquoſior, aut ſpiritu proprio & inſito minus efficax media parte ipſius appareat, non eodem ſc. temperamento partiũ ſpermatis exiſtente, quoad ſc. facilius aut uincit, aut*

*cit aut uincitur à muliebri ſpermate maſculinũ propter inæqualitatem, quæ ipſa quoq; ἀνομοιομόρφα ſit in muliebri ſpermate, quæ ſpermata nõ ſic confundũtur ut ex his unũ omninò ὁμοιομορφὲς efficiatur ſperma, ratione qualitatum, quib. ſimilitudo, aut diſsimilitudo prolis proueniat.* Nam *quod attinet ad οὐσίαν partiũ, plaſtica ipſa facultas alterando ſpecies ſubſtantiales partiũ generat ſimilariũ ſc, & ſimul etiam organicarũ. Sed propter uaria temperamenta materiæ fœtus, ſeu κυήματος, temperamentorũ, quæ accidũt partib. formarũ item, figurarũq; differentiæ in partib. corporis generandi proueniũt, prout potentius ſua qualitate hoc uel illud, fuerit ſemen, patris ſc. aut matris. Secunda eſt differẽtia, ſexus, quæ & ipſa ſeminis qualitate definitur, ſed uniuerſi, & non ſecundum partes, diſtributo uarijs temperamentis.* Exuperãtia *.n. maſculini caloris maſculinus, & exuperantia frigoris, fœmininus ſexus procreatur.* Nam *in his etiã, τὸ κρατοῦν, καὶ τὸ κρατούμενον* conſideratur, *ſed alia ratione quàm ſi cauſa ſimilis, aut diſsimilis prolis parentibus, explicetur.* His *tribus quaſi capitibus,* Galenus *libro altero de ſpermate, perſtringit omnẽ efficientiã plaſticæ facultatis, quæ conſentanea ſint etiã his quæ* Ariſtote. *de generatione fœtus ſcribit.* Ad Ariſtotelis *denuò me cõfero demonſtrationes.* Alia *mouẽdi ſeu alterandi ratio plaſticæ facultati adſcribitur, & alia ſeminum ſeu genitalium humorũ qualitatibus, & temperamentis, quæ differunt inter ſe, ut κρατοῦντα, & κρατούμενα quædam, ratione qualitatum κινήσεως, qua uolumus intelligi materiæ alterationem, & non motum in loco.* Quod *autem motu potentioris, impediatur motus, qualitatis impotentioris, & quod agens tale, nonnihil patiatur etiam à patiente, phyſica experientia & rationibus etiam phyſicis notiſsimum eſt. Similitudines porrò ſunt in formis, quæ figuris*

*& coloribus & temperamentis exprimuntur*. *Vt ſi proles facie ſimilis ſit patri, lineamenta ſcili. figuræ eadẽ erunt.* Nam *plaſtica facultas ex genitali ſemine, temperamentum ſimile habente, potentiæ ratione ſimilem faciei quoq; formam* producet. Idem *de reliquis partibus ſentiendum*. Materni *ſeminis qualitate & temperamento exuperante, matri ſcilicet* proles *aßimilabitur*. Fiunt, *ut diximus, iſta propter* ἀνομοιομερείαν *ſpermatis, ut ſi ex quo facies formatur, ſperma uiri ſit inualidius, aut frigidius, aut quantitate paucius, reſpectu materni, figura matris hac materiæ qualitate* exprimetur. Quoniam, ut Galenus inquit συνυπάρχει ἐν ἅπαντι μορίῳ, τῆς ὕλης ὁ Δημιουργός. οὐκ ἀπονενέμηται δὲ χωρὶς ἰδίᾳ μὲν, τὸ κινοῦν, ἰδίᾳ δὲ, τὸ κινούμενον, ἀλλ᾽ ἑαυτῷ κινεῖ καὶ ῥυθμίζει τό σπέρμα, καὶ δὴ καὶ αὐξάνει, καθάπερ ἔμπροσθεν ἐλέγετο τὴν τροφὴν ἕλκον ἐκ τῆς κυούσης. Conſtat *his rationibus, qui fiat, ut maſcula proles, matri, & fœmini ni ſexus fœtus interdum patri aßimiletur, ſed quòd interdũ* Auo, *aut* Auiæ *aßimiles ſunt, deinceps nobis cauſa erit explicanda.* Humor *genitalis* Gignentis, *ut diximus, inſtrumentum eſt* ποιητικὸν prolis. Δύναμις porrò ποιητικὴ *plaſticæ facultatis, diſtinguitur* ἐνεργείᾳ, *qua* per *ſe efficit* quid*piam, &* δυνάμει, qua propter qualitatem *materiæ* aliquid efficit. Per *ſe dicitur efficere*, quoad οὐσίαν, *nempe hominem aut* Equum *efficit* λόγος σπερματικὸς, propter δύναμιν *autem materiæ, efficit etiam hæc accidẽtia ſexus, & præterea ſimilem, aut dißimilem gignentibus prolem forma & figura.* Eadem *eſt materia, qua nutritur, & augetur animal, & qua ſimile ſibi in ſpecie generat, quæ* γονὴ *ſcilicet ab Ariſtotele appellatur.* Ipſius *enim in omnibus,* Ariſtoteles *ſcribit*, ὁ αὐτὸς λόγος κινήσεως. Cæterum *reſpectu patientis & multiplicis propter qualitates materiæ*

gene-

*generantis humor genitalis, uel κρατοῦντος, uel κρατουμένου rationem obtinet. Si ſuperet ipſius κρᾶσις ſeu qualitas ex toto, maſculinum generabitur, ſi contra, fœmininum animal, quoniam ut Ariſtoteles inquit, καθ' αὑτὴν ποιήσας ποιεῖ τὴν μορφὴν ἡ τοῦ ἄῤῥενος κίνησις. Quamobrem ſi prorſus uincat maſcula uis ſeminis, & marem naſci oportebit, & ſimilem patri prolem. Sin uerò non uincat, & motus eius impediatur (δυνάμεις autem multæ ſunt & uariæ) qua ratione, & parte, uincitur, hac deficere & ſolui motū ipſius, & contrario motui cedere oportebit. Nam quòd mutationes ſint in contrarium, manifeſtum eſt, ut maſculini in fœmininum, & ex patris, in matris formam, ex non monſtroſa, in monſtroſam interdum ſpeciem, Sed qui fit, ut maſculinus ſexus (penes quem principatus eſt in generatione, non ſemper ſit potentia ſua ſuperior, ut ſcilicet mouendo à contrario non impediatur, muliebri materia imbecilliore exiſtente? Soluit Aporian hāc Ariſtoteles, quòd uidelicet maſculum, non ſimpliciter quiddam ſit & dicatur eſſe, ſed etiam quale quoddam, id eſt, certo quodam temperamento præditum, ut Socrates, & Coriſcus, temperamentis differentes ſunt, ambo exiſtentes maſculini ſexus. Præterea, Socrates non tantum generat ut Maſculus, & talis temperamento maſculus, ſed generat etiam ut Homo exiſtens. Id eſt, efficiens cauſa eſt prolis, ratione & eſſentiæ determinata & ratione accidentium, de quibus paulò antè dictum, quorum cauſa γεννητικὸν quiddam eſſe dicitur. Nō enim generat Socrates (ut inquit Ariſtoteles) quia Muſicus, aut quia Vicinus alicuius ſit, ſed quia Homo, aut quia talis maſculus. Generationis autem motus, Socrati magis adſcribitur quatenus ſingularis eſt natura, & τόδε τι, quàm quatenus communicabili & καθόλου quadam ſub-*

*ſtantia præditus dicitur, ut magis quatenus hic homo, quàm quoad ſimpliciter & καθόλου ratione homo dicitur, & magis ratione, qua homo, quàm qua dicitur eſſe animal.* Ho*mo .n. & animal, non ſunt γεννητικὰ, ſed quia* Socrates & *hic homo uim habet ad generandũ, ob id ipſa quoq; quatenus ipſa de hoc homine prædicata, γεννητικὰ appellantur. Ab eo autem quod primò, & per ſe generat, propius abeſt, homo, & longius abeſt, animal.* Ad Socratẽ *.n. hæc omnia ſunt conſequentia, horũ autem nihil ſine* Socrate *γεννητικὸν dicitur, cùm ſeipſis, ut* Socrates *aut Coriſcus, nõ ſubſiſtant, ut τόδε τι, & ſenſile aut ſingulare quoddã ſint.* Homo *.n. ſi conſideretur quatenus homo, ſecretũ quiddam eſt ab omnibus accidentib. ut ſi cõſideretur ipſius τί ἦν εἶναι, aut ſi cõſideretur, ut καθόλου prædicabile.* Socrates *autem nõ eſt ſimpliciter, ſed cum accidentib. quibusdã cõcretus homo, ſine quib. nec generare poteſt homo, neq; etiã generabilis exiſtit, & quorũ cauſa ſingularis homo, iam & τόδε τι, & ποιὸν quiddã eſſe dicitur, & non tantũ ἁπλῶς homo.* Quoad igi*tur generans quiddã homo eſt, hac ratione maſculũ quiddã eſſe dicitur, & propter temperamentorũ diſcrimẽ, ipſum quoq; ποιόν τι, & nõ ſimpliciter homo ſed eſſe dicitur maſculũ.* Maſ*cula aut uis diſtinguitur actu & potẽtia, nempe ut* Ariſto. *loquitur, ἐνεργείᾳ, καὶ δυνάμει.* Energ*eian appellat, qua λόγος πλαστικός ſimpliciter ſpeciem & οὐσίαν generat, ut producendi contrariũ uim non habeat.* Vt Socrates ho*mo, ratione οὐσίας, non niſi hominem procreare poteſt, &* Bos, *bouem, quatenus maſculũ quiddam exiſtunt.* Potentiã *autem ſeu δύναμιν nominat producentis, ſeu generantis, quoad non ſolum tale ipſum, ſed etiam contrariũ ei poteſt procreare, πλαστικὸς λόγος, ut quatenus non modò maſculinum, ſed etiam fœmininũ poteſt generare, & non tantũ*

patri,

*patri,ſed etiam matri ſimilem , & non tantũ patri,ſed etiã auo uel auiæ ſimilẽ procreare prolem poteſt.* Δυνάμει *enim dicitur aliquid eſſe,reſpectu oppoſitorũ,ut* ἐνέργεια ποιητικόν *reſpectu unius, quod naſci ratione priuationis dũtaxat ex materia* κινήματος poteſt. *Plaſtica facultas,nõ poteſt non ex materia ſua ſubſtantiam producere,ut homo,hominem,* Bos,*bouem,ſi agens & patiens* κατὰ φύσιν *habeant.* Sed *neceſſe nõ eſt ut maſculus,maſculũ, aut patri ſimilem producat,quũ propter* δύναμιν *materiæ poßit etiam procreare contrarium,ut maſculus,fœminam,aut matri aliâs ſimilem prolem.* Permutatio *autem hæc in contrarium fit, quando principium, id eſt, genitalis humor maſculi ſuperatur alteratione muliebris ſeminis, qua neceſſe eſt in muliebrem ſexum fœtum transformari.* Ariſtoteles *interpretatur* ἀρχὴν *generationis reliquarum partium,* Cor *ipſum eſſe, quod ſi ſuperetur,ut frigidiorem & crudiorem humorem non poßit ſuo calore perficere,tum quod naſcitur,degenerare in fœmininum ſexum.* Nos *autem interpretamur principium materiale, eſſe genitalem humorem maſculi, quo ſuperante fœmininum ſperma,à plaſtica facultate, prima,&* στερεὰ μόρια *maſculina & calidiora generari.* De *his hypotheſibus differentibus ſupra monuimus.* Rationes *reliquæ ſunt conſentaneæ.* Sic Ariſtot. ὅταν γὰρ μὴ κρατῇ ἡ ἀρχὴ μηδὲ δύναται πέψαι δι' ἔνδειαν θερμότητος μηδ' ἀγάγῃ εἰς τὸ ἴδιον εἶδος τὸ αὐτοῦ, ἀλλὰ ταύτῃ ἡττηθῇ ἀνάγκη ἐπὶ τ' οὐναντίον μεταβάλλειν. Εναντίον δὲ καὶ τῷ Αρρενι τὸ θῆλυ καὶ ταύτῃ ᾗ τὸ μὲν ἄρρεν, τὸ δε θῆλυ. Εστι δὲ Αρρεν, ᾗ δύναταί τι, θῆλυ δὲ, ᾗ ἀδυνατῇ, τῆς δυνάμεως δὲ ὅρος καὶ τῆς ἀδυναμίας, τὸ, τε πεπτικόν εἶναι, ἢ μὴ πεπτικόν τῆς ὑστάτης τροφῆς. τούτου δὲ τὸ αἴτιον, ἐν τῇ ἀρχῇ καὶ τῷ μορίῳ τῷ ἔχοντι τὴν τῆς φυσικῆς θερμότητος ἀρχήν. Αναγκαῖον ἄρα ἐν τοῖς ἐναίμοις

συνίςασθαι καρδίαν· καὶ ἢ ἄῤῥεν εἶναι, ἢ θῆλυ τὸ γινόμενον. Adſcribit cordis calori differentiam, qua maſculinum aut fœmininum generetur. Nos uerò cauſam adſcribimus ſuperanti calori genitalis humoris maſculini ſexus, cum Galeno ſentientes. Non ſuperante autem maſculo ſpermate, ut propter defectum ætatis, quale eſt ſperma, uel adoleſcentium, uel ſenum, aut propter aliam quācunq; dyſcraſiam, degenerat proles in fœmininum ſexum, ſuperante ſcilicet qualitate muliebris ſpermatis. Figurā autem & lineamenta genitalium partium ante perfectionem cordis conſpici uel in ſeptimo à conceptu die, autoritate Hippocratis ſupra aſtruximus, ut cor, ſexuum differentiæ non uideatur eſſe causa. Vocabulo autem ſpermatis Ariſtotelem æquiuocè uti manifeſtum eſt. Nam aliâs ſignificante utitur πλαςικὸν λόγον, aliâs ſignificante περίττωμα, ut quando inquit, Αναλαβόντες οὖν πάλιν λέγομεν, ὅτι τὸ μὲν σπέρμα ὑπόκειται περίττωμα τροφῆς ὂν τὸ ἔσχατον. Ε'σχατον δὲ λέγω τὸ πρὸς ἕκαςον φερόμενον. Διὸ καὶ ἔοικε τὸ Γενόμενον τῷ Γεννήσαντι. Διαφέρει δὲ τὸ τοῦ Ἀῤῥενος σπέρμα, ὅτι ἔχει ἀρχὴν ἐν ἑαυτῷ τοιαύτην, οἵαν κινεῖ καὶ ἐν τῷ ζῴῳ, καὶ διαπέττειν τὴν ἐσχάτην τροφήν, τὸ δὲ τοῦ θήλεος, ὕλην μόνον, κρατῆσαν μὲν οὖν εἰς ἑαυτὸ ἄγει, κρατηθὲν δ' ἐπὶ τ' οὐναντίον. quoad uidelicet muliebre περίττωμα alterando non poßit maſculino calore ipſum perficere. Nam genitalis humoris maſculi materia dumtaxat eſt ſanguis. Quam materiā ſi alterando ſuperet ſperma maſculinum, generari maſculum inquit, ſi contra fiat, fœminam. Εὐπέπτου μὲν γὰρ οὔσης τῆς περιττώσεως ἐν τοῖς καταμηνίοις, τῆς σπερματικῆς, καθ' αὑτὴν ποιήσει πρὸς τὴν μορφὴν ἡ τοῦ Ἀῤῥενος κίνησις. Peccat in eo Ariſtot. quod materias generādi fœtus non diſtinguit. Maris quidem σπερματικὴν περίττωσιν unam dicit

eſſe,

*eſſe, alteram, ſanguinem menſtruum, nobiſcum ſentiens, tertiam, quæ eſt ſperma muliebre, quaſi nulla ſit, omittit.* Si maſcula περίττωσις perfectè alteret materiam, nempe τὸ καταμήνιον, naſci maſculinum, ſin alterando deficiat, fœmininum procreari ſexum ſcribit. Cor autem primum organum eſſe quo ſic alterentur, aut non alterentur omnia, cùm ſit ἀρχὴ θερμότητος καὶ θρέψεως. Ex utriſq; autem his materijs cor primum generari, deinde reliquas corporis partes efformari. Nos uerò ſpermaticas partes, & in primis uenoſum genus, plaſtica facultate primum generari, exuperante calore maſculini ſpermatis, maſcula membra, ſed fœminini ſpermatis qualitate calorem maris debilitante, fœminam naſci dicimus. Quibus manifeſtum eſt, propter δυνάμιν materiæ, naſcentibus animalibus has differentias qualitatum ineſſe, & maſculum, quia ſit ποιόν quiddam, cauſam diſcrepantiũ ſexuum eſſe, ſiquidem Coriſcus, & Socrates non ſimili temperamento ſint præditi, & quod matrum quoq; corpora non omnia ſimiliter ſint temperata. Quare ſequitur, ut motus & alterationes etiam κινημάτων non ſint eædem, uictis deficientibus in motionem uincentis ſpermatis, pro qualitate materiæ plaſtica facultate omnia efformantur, & differentibus materijs ipſis propter temperamenta. Vt in totis, ſic etiam ſecundum partes quaſdam, qualitatũ harum ſimilitudines, aut diſsimilitudines dicimus ineſſe reſpectu generantium, ut partium etiam δυνάμεις & motus inter ſe differant, ut ualidius impediat motum infirmioris. Quare multi ſunt & uarij effectus generationis deinceps ordine ſe conſequentes, ut ſi dicam, hunc hominem, ut Socratem, generare Petrũ, & hominem generare hominem ſimpliciter, dicere licet, & quòd animal generet etiam animal. Item quòd maſculus, maſculum,

*aut fœminam, aut quòd ſibi ſimilem prolem, uel auo, aut quòd matri ſimilem, uel auiæ. His effectorum, reſpondent efficientium gradus plaſticæ facultatis, & materiæ, ex qua proles efformatur. In materia autem inſunt δυνάμεις hæc motionum illarum, quibus hoc, uel illud poteſt generari, et potentiori interdum δυνάμει cedit impotentior, potentiorum enim cauſarum motiones impediunt motiones cauſarum impotentiorum, ut ſi potentior ſit cauſa, qua generetur fœmininus ſexus, aut matri ſimilis proles, ei nimirum cedet potentia ſpermatici humoris: qua poteſt generari oppoſitum. Item, ſi in Socrate inſit aut in ſemine Socratis potentia, ut maſculum quidem generet, poterit fieri ut tamen non inſit δύναμις qua ſibi, ſed qua patri ſuo, aut Auo ſimilē generat. Nam interdum in materia genitali, qua Nepos naſcitur, temperatio & craſis talis ineſt ut Aui imagine informetur, aut auiæ, & non patris aut matris, in propiora enim conſequentia facilior eſt tranſitio & mutatio, appellat Ariſtoteles has μεταβάσεις ἐχούσας δυνάμεις. Ariſtoteles porrò maſculas δυνάμεις architectrices, & δημιουργούσας appellat, quæ principaliter generantibus adſcribuntur quoad ſunt ſingulares, & καθ' ἕκαστον οὐσίαι. Non enim homo, quia homo, aut animal, quia animal, ſed quia Socrates, aut quia Coriſcus generant. In ſingularibus enim inſunt hæ δυνάμεις alterationum & motionum, quorum cauſa dicuntur etiam reliqua prædicata eſſe, οὐσίαι, & τόδε quiddam, ut hic homo, ut hoc animal, aut τοιόνδε, ut maſculinum, aut fœmininum. Penes ipſum quoq; generans quatenus τόδε τι potentiam eſſe dicimus, ut qua generare maſculā prolem poßit, & qua patri ſimilem potius, quam matri, & qua Auo potius, quàm Auiæ. Potentior uis ſi non ſuperat, cedet locum impotentiori, quæ pro expoſitis hoc*

loco

*loco numerat Ariſtoteles. Sic autem ſcribit de his permutationibus.* Διόπερ ἀπὸ τῶν δυνάμεων ὑπάρχουσιν αἱ κινήσεις ἐν τοῖς σπέρμασι πάντων τῶν τοιούτων. Δυνάμει δὲ, καὶ τῶν Προγόνων. Μᾶλλον δὲ τοῦ ἐγγύτερον ἀεὶ τῶν καθέκαστόν τινος. Λέγω δὲ καθ' ἕκαστον, τὸν Κόρισκον, καὶ τὸν Σωκράτην. Ἐπεὶ δὲ ἐξίσταται πᾶν οὐκ εἰς τὸ τυχόν, ἀλλ' εἰς τὸ ἀντικείμενον, καὶ τὸ ἐν τῇ Γενέσει μὴ κρατούμενον, ἀναγκαῖον ἐξίστασθαι καὶ γένεσθαι τὸ ἀντικείμενον, καθ' ἣν δύναμιν οὐκ ἐκράτησε τὸ Γεννῶν καὶ κινοῦν. ἐὰν μὲν οὖν ᾗ ἄρρεν, Θῆλυ γίνεται. ἐὰν δὲ ᾗ Κορίσκος ἢ Σωκράτης, οὐ τῷ Πατρὶ ἐοικὸς, ἀλλὰ τῇ μητρὶ γίνεται. Ἀντίκειται γὰρ ὥσπερ τῷ ὅλως πατρὶ μήτηρ, καὶ τῷ καθέκαστον Γεννῶντι, καὶ καθ' ἕκαστον Γεννῶσα. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὰς ἐχομένας δυνάμεις. ἀεὶ γὰρ εἰς τὸν ἐχόμενον μεταβαίνει μᾶλλον τῶν προγόνων, καὶ ἐπὶ πατέρων καὶ μητέρων. ἔνεισιν αἱ μὲν ἐνεργείαι τῶν κινήσεων, αἱ δὲ δυνάμει, καὶ Ἐνεργείᾳ μὲν, αἱ τοῦ Γεννῶντος, καὶ τοῦ καθόλου, οἷον ἀνθρώπου καὶ ζῴου (*reſpectu effectuum, dicuntur* ἐνεργείᾳ *ineſſe, quod non poßint ſc. niſi unum producere, ut talis Homo, talem hominem, & homo, hominem, & animal, animal, ſed quæ* δυνάμει *mouent, quod poßint eſſe oppoſitũ*) Δυνάμει δὲ αἱ τοῦ θήλεος, καὶ τῶν Προγόνων, καὶ ἐπὶ πατέρων, καὶ μητέρων. Μεταβάλλει μὲν οὖν ἐξιστάμενον πρὸς τὰ ἀντικείμενα. Λύονται δὲ αἱ κινήσεις αἱ δημιουργοῦσαι ἐπὶ τὰς ἐγγύς. οἷον ἂν ἡ τοῦ Γεννῶντος ἀνχυθῇ κίνησις, ἐλαχίστῃ διαφορᾷ μεταβαίνει εἰς τὴν τοῦ Πατρός. δεύτερον δὲ εἰς τὴν τοῦ Πάππου. καὶ τοῦτον δὴ τὸν τρόπον ἐπὶ τῶν ἀρρένων, καὶ ἐπὶ τῶν θηλειῶν. ἡ τῆς Γεννώσης, εἰς τὴν τῆς μητρός. ἐὰν δὲ μὴ εἰς ταύτην, εἰς τὴν τῆς τήθης. ὁμοίως δὲ καὶ ἐπὶ τῶν ἄνωθεν. Μάλιστα μὲν οὖν πέφυκεν ᾗ ἄρρεν, καὶ ᾗ πατὴρ, ἅμα καὶ κρατεῖν, καὶ κρατεῖσθαι. μικρὰ γὰρ ἡ διαφορὰ, ὥστε οὐκ ἔργον ἅμα συμβῆναι ἀμφότερα. ὁ γὰρ Σωκράτης ἀνὴρ τοιόσδε τις. Διὸ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ, τὰ μὲν ἄρ-

ῤενα, τῷ πατρὶ ἔοικε, τὰ δὲ θήλη, τῇ μητρί, ἅμα γὰρ εἰς ἄμφω ἔκστασις ἐγένετο. Αντίκειται δὲ τῷ μὲν ἄρρενι, τὸ θῆλυ, τῷ δὲ πατρὶ ἡ μήτηρ. Ηδ' ἔκστασις εἰς τὰ ἀντικείμενα. Εαὐ δὲ ἡ μὲν ἀπὸ τοῦ ἄρρενος κρατήσῃ κίνησις, ἡδ' ἀπὸ τοῦ Σωκράτους μὴ κρατήσῃ, ἢ αὕτη μέν, ἐκείνη δὲ μή, τότε συμβαίνει γίνεσθαι ἄρρενα τε μητρὶ ἐοικότα, καὶ θήλεα πατρί. Εαὐ δὲ λυθῶσι αἱ κινήσεις, καὶ ἡ μὲν ἄρρην, μείνῃ, ἡ δὲ τοῦ Σωκράτους λυθῇ εἰς τὴν τοῦ πατρός, ἔσται ἄρρεν τῷ Πάππῳ ἐοικός, ἢ τῶν ἄλλων τινὶ τῶν ἄνωθεν προγόνων, κρατηθέντος δὲ ἡ ἄρρεν, θῆλυ ἔσται. Καὶ ἐοικὸς μάλιστα μὲν τῇ μητρί. Ε᾽αὐ δὲ καὶ αὕτη λυθῇ ἡ κίνησις, μητρὶ, μητρὸς, ἢ ἄλλῃ τινι τῶν ἄνωθεν ἔσται ἡ ὁμοιότης, κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. Οδ' αὐτός τρόπος, καὶ ἐπὶ τῶν μορίων. καὶ γὰρ τῷ μὲν πατρὶ ἔοικε πολλάκις, τὰ δὲ μητρὶ τὰ δὲ προγόνων τισιν. Ενεισι γὰρ καὶ τῶν μορίων αἱ μὲν ἐνεργείᾳ κινήσεις, αἱ δὲ δυνάμει, καθάπερ εἴρηται πολλάκις. καθόλου δὲ δεῖ λαβεῖν ὑποθέσεις, μίαν μὲν τὴν εἰρημένην, ὅτι ἔνεισι τῶν κινήσεων αἱ μὲν δυνάμει, αἱ δὲ ἐνεργείᾳ. ἄλλας δὲ δύο, ὅτι κρατούμενον μὲν ἐξίσταται εἰς τὸ ἀντικείμενον. Λυόμενον δὲ, εἰς τὴν ἐχομένην κίνησιν. Καὶ ἧττον μὲν λυόμενον, εἰς τὴν ἐγγὺς, μᾶλλον δέ, ἐπὶ τὴν πορρώτερον. τέλος δὲ οὕτως συγχέονται ὥστε μηθενὶ ἐοικέναι τῶν οἰκείων καὶ συγγενῶν, ἀλλὰ λείπεσθαι τὸ κοινὸν μόνον, καὶ εἶναι ἄνθρωπον. Αἴτιον δὲ τοῦ μὲν λύεσθαι τὰς κινήσεις, ὅτι τὸ Ποιοῦν καὶ Πάσχει ὑπὸ τοῦ Πάσχοντος. *Deſcripſimus hæc omnia ex Ariſtotelis libro quibus argutiſsimè & ſubtiliſsimè demonſtrantur cauſæ ſexuum, & ſimilium diſsimiliumq́; formarum inter naſcentia & generantia; quorum cauſa ſit quidem plaſtica uis ſeminis, ſed non ſine materiarum diſcrimine, de quibus opinor ſatis ſuperq́; dictum eſſe. Si quæ præterea ſunt ex ipſo Ariſtotele requirantur, nõ enim omnia, ſed quæ dubitationem haberent propter Galenum &*

*Ariſto-*

Ariſtotelem, explicare ab initio inſtitui. Apparet ex his omnibus quæ hactenus ſunt diſputata, omnium eorum quæ fiunt & generantur in formatione fœtus, duas eſſe cauſas, nempe efficientem, quæ ſit plaſtica uis & potentia, & materiam τοῦ πνεύματος compoſitam ex genitali humore ſeu ſpermatico Maris, & fœminæ, quibus temperamento contrario inter ſe differentibus, unum alterius motum impedire poſſit, quibus exuperantibus aut deficientibus omnis hæc uarietas in humanis formis & ingenijs proueniat, cùm nihilominus unus idemq; ſit omnium πλαστικός λόγος in materia τοῦ πνεύματος incluſus. Actus ſecundus eſt animæ, ſed accidentalis, quo, nutricando ſcilicet, omnes partes ſui corporis conſeruat, mutando nutrimentum in ſubſtantiam ſimilarium partium. Alter animati corporis actus ſecundus eſt, ſed ſubſtantialis, nempè λόγος σπερματικός, quo poteſt & ſolet ſibi ſimilem in ſpecie procreare ſubſtantiam quodammodo ἄϋλος exiſtens, ἔνυλον, ac πρώτως quidem ſubſtantiam ſimilarium generando, ſed ἑπομένως generando etiam magnitudinem, & figuras organicas, et conformationem atq; cohærentiam omnium partium hoc motionis & alterationũ ordine, quo fieri & generari omnia uoluit λόγος Dei protoplaſtes, quem principium principiorum nos eſſe agnoſcimus, nempe naturalium cauſarum creatorem. Perinde ut coloratum corpus, actu ſecundo coloris ſui exprimit ſpeciem ſuam in oculo πρώτως, & ἑπομένως etiam magnitudinem, figuram, numerumq; partium & compoſitionem, per anguſtiſſimum pupillæ foramen ingrediens, qui tamen actus ſecundus nulla quantitate aut materia ſit prædituſ, quodammodo ἀΰλως efficit oculum, ita quoq; λόγος πλαστικός ille, ut actus ſecundus animati corporis, ſed ποιητικός alterius ſubſtantiæ,

*expers materiæ, & quãtitatis, in materia τοῦ κυήματος, primi actus formam, & effigiem ſubſtantialem exprimit, & propter qualitates materiæ accidentibus his etiam diſtinguit, quibus propagata à ſpermate differre inter ſe manifeſtum eſt.* Ac poſthac *ne miretur* Galenus, *quomodo ſine mente* πλαστικὸς *ſeu* σπερματικὸς λόγος *ſtructurã hanc animati* corporis poßit *efficere, quum* φυσικὸς λόγος *ſit quaſi manus* Opificis *omnium* Dei, *& tamen non miramur manum omnia facere artificioſè, tametſi mens & ratio in manibus non inſit.* Nec *in uegetatrice anima mens eſt, quando tam admirandas res & formas ac naturas in ſtirpibus & animalibus producit, ut hoc nomine ab* Ariſtotele *meritò ſit reprehenſus* Anaxagoras, *qui dixerit idcirco hominem ſapientißimum eſſe, quia habeat manus, cùm contra potius dicere debuiſſet, hominem ſc. quia ſapientißimum ſit* Animal, *idcirco ipſum manus habere.* In *homine enim mens eſt, in manibus non eſt, in ipſis tamen* φύσις *eſt, qua ut mentis inſtrumentum, artificioſis motibus officium & munus ſuum exequantur. Supereſt ut conſideremus etiam utrum anima humana ſit* πλαστόν *quiddam reſpectu cauſarum naturalium, an uerò cauſa, & creator ipſius ſit protoplaſtes* λόγος, *&* Deus, *ac ſola ſit in formis naturalibus, quæ mortis & interitus ſit expers.*

## IACOBI SCHEGKII SCHORNdorffenſis de plaſtica facultate Seminis, Liber Tertius.

*CVm homo ſit ex numero naturaliũ rerũ, & ſubſtantiarũ, conſtetq́; & certum ſit ipſum naturalib. cauſis generari, & quæ generãtur, propter formam ſuam* πλαστόν *quiddã eſſe dicantur, hac ratione qua forma produ-*

*citur de potentia materiæ, non fruſtra et temere quæritur, Num anima quoq; hominis hoc modo* πλαςόν *quiddam ſit ut perfectio ſit & entelechia materiæ corporis, ut ſine hac ſubſiſtere per ſe nequeat, an uerò non generatum, ſed creatũ quiddam ſit à* Deo *humana anima, tâquam* protoplaſte, *ut nihilominus corpus hominis ſit plaſma naturæ, & forma ipſius extrinſecus ſeſe inſinuet, & non potentia materiæ principalis eſſentiæ ipſius cauſa exiſtat, ut ſine qua, anima ipſa etiam eſſe, & ſubſiſtere nequeat.* Proinde *ut forma naturalis ſine ultima materia (quæ eſt* ὀικεῖα*) nequit eſſe, ſic etiam ultima materiæ potentia, ſine formæ actu eſſe nequit, cuius coniugij nulla alia ſit cauſa (autore* Ariſto: *libro* κ. Metaphy. *in fine ſeu extremo libri) quàm extra mouens ipſum, & efficiens naturale, quo generatur ſubſtantia rei quibusdã alterationib. materiam ultimã parantibus, quam perficiat & compleat actus ſeu forma rei ſubſtãtialis. Cæterùm conſubſtantialem hanc craſin &* ἔμφυτον *hanc eſſe dicimus, qua exiſtente, neceſſe ſit formam ſimul eſſe, ſed accidentalem dicimus hanc, quæ ſiue ſit, ſiue non ſit, perimi ſubſtantiam non ſit neceſſe.* Vt *uerbi gratia, aliud eſt frigus aëris, quo aër incipit eſſe aqua, & aliud frigus, quod accidit aëri, ſiquidem aër* φύσει *calidus exiſtat, cuius principiũ & cauſa ſit forma aërea, frigoris autem cauſa nõ ſit forma ipſius aëris.* Ergo *tanquam principia rei naturalis, ſimul ſunt, & ſimul nõ ſunt, materia ultima ſeu* ὀικεῖα ὕλη, *& forma ipſius.*Et compoſiti *quidẽ efficiens externa cauſa per ſe erit.* Naturæ *igitur opera & plaſmata, ſunt omnia hæc quæ generantur & occidunt. Cæleſtia autem & incorporea omnia, protoplaſten habent* Deum. At *in medio caducorũ & æternorũ, eſt* Homo, *partim, ut ratione corporis, naturæ, partim ut reſpectu animæ, Creatoris plaſma exiſtens.*

*Tametſi natura quoq; ipſa,manus* Dei *dicatur eſſe,ut* Pro-*toplaſtæ, ut* Homo *ſimul* Creatoris, *& Creaturæ opificium poßit non inconſentaneè appellari.* Ambiguitas *hæc (ut aliâs diximus) in cauſa fuit, ut quidem arbitrati ſint* Animam *humanam, ex traduce, alij uerò negarent ex traduce,id eſt, à natura propagari, quia uidelicet corpus, ob id animam quoq; opus naturæ cenſuerunt eſſe.* Attamen *idcirco non etiam neceſſe eſt animam propagari ſeu de potentia materiæ produci, qualis eſt aliarum animarum una cum corporibus generatio.*Negatio *quidem propagationis animæ hac* Hypotheſi *nititur, qua ſtatuimus, hominis animam,quamuis unà cum corpore incipiat eſſe (quod pro religione noſtra piè credimus) nihilominus propter æternitatem cum corpore non deſinit eſſe, ſiquidem ſeparabilis ſit à corpore ſpecies,quo diſcrepat ab omnibus formis alijs rerum naturalium.* Mente *prædita eſt anima humana, quæ ut corpus perficit,ita uiciſsim ipſa perficitur à mente, quam conſtat ex numero eſſe diuinarum & creabilium rerum,non autem à natura ipſa propagatarũ.* Imperfectum *autem* Dei *opus nullum eſt, ſed quòd homo imperfectus, & anima obnoxia peccatis naſcitur,* Adami *ἀπιστία in cauſa fuit, à quo corruptela hæc propagatur in omnes poſteros.* Anima *quidem ſine corpore non potuit eſſe, at ſine generatione,corpus & generatio,ſine corruptela hac non potuit eſſe.* Non *autem iniuſtus eſt* Deus,*ſi malũ,cuius autor ipſe non ſit, propagari in omnem poſteritatem* Adami *permittat.* Neceſſe *eſt enim,ut, ſiue bonum, ſiue malum aliquid ſit,à principio quodam proficiſci,& malum etiam humanum,à propagatione,& non etiam à creatione pendet, quod ipſum malum ſola miſericordia* Dei *permutari poßit in bonum, de quo ſacris literis proditum eſt.* Satis

*facere*

*facere hæc poſſunt eruditis de calamitate humanæ animæ à* Deo *creatæ, quærentibus & deplorantibus, tanquam ipſa innoxia periclitetur in obnoxio corpore peccatis, quaſi uerò propagatione alia naſci potuerint poſteri* Adami, *aut quaſi culpa natiuitatis huius miſeræ ſit in* Creatore Deo. Si *quæ ſunt alia,* Theologis, *ſed in philoſophia eruditis, diſcutienda relinquo.* In *quo conſentiant* Theologi *noſtrates, & in quo diſſentiant à philoſophis, aliâs fuit expoſitū.* Ab *utriſq; enim dicitur, quòd anima extrinſecus ingrediens in corpus, hominis eſſentiam conſtituat, & quòd hæc ipſa, moriente homine, ſeparabilis ſit à corpore, ſeipſa uiuens, interituſq; expers, quia uidelicet mente ſit prædita.* Hanc *immortalitatē, alijs* Plato, *alijs uerò* Ariſtoteles *probat argumentis.* Nos *omiſſis* Platonis *rationibus, quæ proponuntur in* Theæteto, Ariſtotelis *non modo probabiles, ſed etiam* Apodicticas *rationes, quàm poteſt fieri explicabimus breuiſſimè.* Propter *breuitatem autem obſcuritatemq;* Ariſtotelis: *quàm abſurdè & inconſentaneè quidam interpretati ſint ipſius ſenſum legendo commenta ſeu figmenta potius ipſorum, facilè quis depræhendet.* Quid *enim alienius eſt & magis abhorret ab* Ariſtotelis *ſententia, quàm cum* Auerroes *defendit unum numero & communem eſſe omnium hominum intellectum agentem, qui ſeparabilis ſit, & immortalis, anima exiſtente humana mortali nihilominus.* In *qua ſententia ſint etiam,* Alexander, *&* Themiſtius, *ac multi alij, qui poſt eos fuerunt* Ariſtotelis *interpretes, qui tamen* Ariſtotelis *mentem & ſenſum de mente humana non uidentur mihi aſſecuti eſſe, quem nos bona fide, explanabimus, ut his etiam argumentis perſpicuum ſit animæ humanæ immortalitatem non modò, propter religionem, aſſerendum, ſed etiam philoſophicis*

*rationibus demonſtrabilem eſſe, ut contra dici nihil queat. Primum eſt, ut probetur, hominem, non ex toto naturalibus cauſis generari, & πλαςόν quiddam eſſe, ut aliæ ſint quælibet res naturales, quas perpetuis generationibus caducas reparari manifeſtum ſit.* Præcedenti*bus libris demonſtratum eſt,* Corpus *humanum naturæ quoddam plaſma exiſtere, ſed animam tamen ipſius non produci de potentia materiæ, ut alias naturales formas, ſed extrinſecus in corpus ingredi, ſecundum* Ariſtote*lem &* Platonem *(nam increatas illi cenſent eſſe* Ani*mas humanas) quas tamen nos pro fide religionis noſtræ creatas confitemur, & per creationem à* Deo *corporibus humanis, inſinuari, ſeu, ut uulgò loquuntur, infundi.* In *Timæo* Plato, *non à* Creatore Deo, *ſed à ſecundis & cœleſtibus cauſis atque intelligentijs, (ut protoplaſtis) homines hoc modo generari ſcribit, ut formatis* Elementorum *concretione corporibus humanis, certis uitarum periodis animas humanas ipſorum opificio à* Ioue *commendatas ut immortales ſcilicet, mortalibus corporibus aſtringant quaſi uinculo quodam, quibus per mortem ſolutis uinculis, ſuæ integritati denuò reſtituitur, nec pereuntibus corporibus ipſas quoque neceſſe ſit interire.* Sic Plato, τὰς τῆς ἀθανάτε ψυχῆς περιόδους ἐνέδουν ἐς ἐπίρρυτον σῶμα καὶ ἀπόρρυτον. *Ariſtoteles animam humanam appellat* νοῦν, *ſeu* Mentem, *utpote, quæ ſit pars eſſentiæ ipſius principalis. Nam hoc quo modo ſomniat* Auerroës, *ſed* Mentis *eſſentiam extrinſecus aduenientem cum ea ſic* Animam *quidem humanam naturalibus cauſis generari, copulari, ut* Lumen *extrinſecus aduenìens in cauſa ſit ut*

*oculus uideat, ita Mentem illam externam in cauſa eſſe, ut Anima hominis intelligat, ut interim ipſa Mens illuſtrans non ſit pars ſubſtantiæ Animæ, ut nec lumen ſit oculorum Animæ noſtræ ὅλων nequaquam definiendam arbitramur. Qua ratione & ſimilitudine fretus, Arabs Vnam numero omnium hominum Mentem eſſe ſtatuit. In hominis autem anima cenſet potentiam talem ineſſe, qua poßit ſpecies intelligibilium rerum in ſe recipere, ut oculus in ſe recipiat aſpectabiles formas, à lumine extrinſecus in actum deductas uiſibilem. At ſimilitudo hæc Auerrois & Analogia planè claudicat. Non enim quod facit rem uiſibilem, ipſum etiam uidendi facultate præditum erit, ut ſi Homerus, & Galenus libro 6. de placitis Hippocratis & Platonis ſentiunt, & dicunt Solem ſuis radijs omnia uidere. Sed quod facit ex potentia intelligibilibus (ut ex rebus ſub ſenſum uenientibus) actu intelligibilia ipſum etiam intelligens quiddam ex neceßitate erit. Præterea quod facit ex potentia intelligibilibus, actu intellecta, quomodo faciet, ſi non ſenſu etiam apprehendat ſingularia & δυνάμει νοητά? At uero ſimplex & agens intellectus ſeipſo per eſſentiam actu exiſtens, & intelligens, ſenſilia per ſe & ſingularia nullo modo percipit, propterea quod animæ non ſit eſſentialis pars, ſed ab ea ſeparatum quiddam ſit ſubſtantialiter. Sine ſenſu enim & phantaſia intellectus humanus nec facit, nec percipit actu νοητὰ ὕλη. Quamobrem neceſſe eſt ut Agens, ſeu Efficiens intellectus, ſit pars eſſentiæ humanæ Animæ, & ut compoſitum quiddam ſit eſſentialiter cùm facultate Animæ ſentientis, qua compoſitione conſtituatur etiam Intellectus patibilis, ſeu τὰ νοητά, recipiens in ſe, adminiculo*

ſenſuum effecta per agentem intellectũ τὰ νοητὰ ἐἀς. Non enim qui facit, idem recipit etiam in ſe ſpecies illas. Sed in anima humana agens, à patiente, quin etiam in omnibus alijs quoq; animatis corporibus, ſubſtantialiter agens & patiens non diſtinguuntur, ut in corporibus. Inanimatis aliâs agens & patiens eſſentialiter diſcrepant. Notum eſt quomodo anima φύσις à ſe informatis partibus, nempe animatis organis omnes ſuas energeias exerceat, compoſita enim quælibet δύναμις eſt cum organo ab anima informato, ut nimirum actio proficiſcatur ab anima ipſa, & ei reſpondens è regione paßio recipiatur à patiente organo, ſed quoad ab anima informatum quiddam eſt. Vt uegetatio actiua, ab anima proficiſcitur uegetatrice, ſed paßiua recipitur ab animato corpore, non enim anima ipſa, ſed animatum corpus nutritur & uegetatur. Principatus ſentiẽdi, & energeia ipſa, adſcribitur facultati huic animæ, ſed hæc energeia, ut paßio quædam ineſt, eſt in organis animatis, quoad extrinſecus afficiũtur à rebus ſenſilibus. Quin etiam anima ne agit quidem quicq̃ ſine inſtrumẽto animati corporis efficax. Vt animatum corpus, non nutritur, ut non ipſum etiam aßimilando nutrimentum, ſit efficax. Non enim ſeipſa, ſed organo nutriti corporis anima aßimilat nutrumentum. Et ſeipſa quoq; energeian ſenſionis, affectis ſenſibus externis, non exercet, ſed inſtrumento cerebri (quod non patitur à ſenſilibus formis) omnes ſenſiones ἐνεργητικῶς præſtare ſolet. Et ut uegetatur ſentitq; anima ratione ſui corporis, ita quoq; mens ipſius intelligit, reſpectu animæ, id eſt, quoad cum anima ſentiẽte eſt compoſitum quiddam. Non autem duo ſunt intellectus in homine eſſentialiter differentes, quorum unus agens, & alter, patiens appellatur, ſed unus tamen intellectus per eſſentiam in

ipſo

*ipſo eſt, ſed compoſitus. At nihilominus realiter inter ſe ambo differunt, cùm agens, ſit χωριστός, & ſine patiente eſſe queat, quamuis patiens eſſentialiter depẽdeat ab agente, & ſine ipſo eſſe non poßit.* Quid *ſit idem eſſe, aut diſtingui realiter aut formaliter, expoſuimus in libro contra Genebrandum hæreticum præuaricatorem, ſcripto, qui defendit diuinas perſonas, eſſentialiter productas à producente, nempe eo modo, quo Thare produxerit Abrahamum, & nihilominus eas perſonas ſingulariſsima eſſentia unũquid eſſe ſcribit, oppoſitum in adiecto (ut loquuntur* Dialecti*ci) aſſerens & ſemetipſum implicans contradicentibus.* Hunc *librum quidam, propter ignorantiam ſuam, & calumniam ſuppreſſerunt, quibus* Deus *rependat quod meriti eſſe uidebuntur.* Realiter *differentium cùm tres ſint modi (illic commemorati) ex his unus hic eſt, ſi duobus, unum aliquid eſſentialiter conſtituentibus, unum, altero abolito, nihilominus eſſe poteſt.* Vt *caro animata, & anima, ſunt eſſentialiter idem aliquid, quoniam eſſentiam ſuam caro habet ab anima, nihilominus tamen differunt realiter, quòd abolita eſſentia ſcilicet animata carnis, non etiam neceſſe ſit animæ eſſentiam aboleri. Simili modo, ſimplicem, id eſt, agentem intellectum, & compoſitum, nempe patibilem qui nihil aliud ſit, quàm ſimplex cum anima ſentiẽte compoſitus intellectus, unus ratione eſſentiæ, ſunt intellectus, realiter tamen inter ſe diſcrepantes, hac ratione, qua paulò ante dictum.* Quare *hi qui non modo eſſentialiter, ſed etiã realiter ambos unum eundemq; opinantur eſſe, non minus hallucinantur, atq; illi errant, qui ambos intellectus, unum eundemq; omnino & ſimpliciter eſſe cenſent, in quorum numero etiam eſt* Cæſar Scaliger *(uir alioqui ſumma philoſophiæ ſcientia præditus) in exercitationis* 307. *parte*

18. *diſputationum, contra Cardanum habitarum, cuius hæc*
„ *ſunt uerba.* At *multæ ſunt difficultates, atq; obiectiones,*
„ *quibus agens iſte intellectus, uel ſuperfluus, uel ſolus, ſi-*
„ *ne alio materiali, uel etiam fortaſſe ridiculus ſit.* Nam *ſi*
„ *unus eſt cum materiali reipſa, differt autem definitione,*
„ *ſuperuacaneus erit ſanè.* Qui *plura uolet, ex ipſo requi-*
*rat, autore, nam propter breuitatis ſtudium, omnino ab al-*
*legandis autoribus mihi temperaui.* Reſpondemus *igitur* D. Scaligero, *reipſa, id eſt, realiter, non autem eſſentiali-ter hos duos inter ſe diſcrepare intellectus.* Quæ *autem differunt realiter, ea, plus quàm formaliter, id eſt, quàm ſo-la definitione inter ſe dicuntur differre.* Cenſet Scaliger *nullum eſſe agentem, ſed patibilem unum & ſolum, ſatis homini ad intelligendum facere,* Ariſtoteli *ſeſe opponens, ueris tamen & conſentaneis argumentis deſtitutus.* Prius Ariſtotelis *aſtruemus ſententiam, deinde* Cæſaris *opinio-nem refellemus.* Noſtrum *intellectum nullam uim habere ad intelligendum ſine ſenſu & phantaſia notiſſimum eſt.* Intelligere *autem ipſum eſt, ſpecies rerum, ſeparatis omni-bus accidentibus, quæ nimirum ipſis loci, temporisq; gra-tia inhærent ſine materia, noſcendo apprehendere.* Quæ-*ritur iam de potentia hac animæ, quænam ſecretionē hanc faciat, & uendicet ſimplicem* οὐσίαν, (*quæ* λόγος *eſt*) *ab accidentibus & materia?* Et *num ſecretrix, eiusdem ca-pax ſit ſecretæ ſpeciei, an uerò alia ſit & nō patibilis, quæ efficiat* τὸ νοητὸν εἶδος, *& alia ſit alens, quæ tanquam habi-tu ſpecie hac intelligibili informetur?* Eandē *realiter unam que mentem ſtatuit utramq; eſſe,* Scaliger, *ſed quòd reali-ter differāt inter ſe, quamuis eſſentialiter ſint una, nunc de-inceps demonſtrabimus.* Intelligere (*ratione* δυνάμεως)

propri-

*proprium eſt πάθος hominis, ut animalis, ſentire, & uegetari, ſtirpis. Quo autem homo intelligit, tanquam cauſa, dupliciter diſtinguendum eſſe ſcribit* Ariſtoteles. *Alterum enim dicit eſſe ut formam & entelechian, ut eſt anima ipſa, aut mens animæ, ſimplex et agens ſeu efficiens δύναμις. Alteram uerò, ut ſubiectum, & πρῶτον δεκτικὸν huius habitus & energeiæ, quod ipſum ſit mens illa, quatenus non ſimplex, ſed compoſita ſit cum anima ſentiente, in qua, ut patibili* Mente *ſcribit ineſſe hanc energeian, & hæc νοητὰ εἴδη, quæ* Mens *agens ſeparando ſeu τῷ χωρίζειν, efficiat.*

*Nam quo intelligimus, aut quo ſentimus duplex eſt, unum eſt, formalis & efficiens, & alterum eſt, ut organica cauſa, in qua principalis hæc ut pars ipſius eſſentialis inſit, & energeiæ etiam, ut diei, ipſius ſit πρῶτον δεκτικὸν. Nam ſine ſubiecto nulla eſt rerum efficientia.* Forma *autem ipſa, perficiens habitu uel energeia, mens agens dicitur, ſed in hac ipſa, tanquam ſubiecto quodam, non recipitur aut ineſt intelligibilis ſpecies.* Vt *in mente ſimplici, νοήματα hæc non inſunt quibus intelligit homo, ſed in mente inſunt quatenus compoſita eſt cum potentia ſentiendi, quæ patibilis dicitur.* Simili *modo ſenſionis energeia, qua homo uel animal ſentit, non eſt in ipſa anima ſentiente, tanquam ſubiecto quodam, ſed eſt in cerebro, ut τῷ πρώτῳ δεκτικῷ iſtius energeiæ, quo ut inſtrumentali cauſa animal ſentire dicatur, non autem ut formali.* Differunt *autem realiter,* Forma *ſeu εἶδος, & compoſitum ipſum ex forma & ſubiecto, quandoquidem in compoſito inſit proprium πάθος, cuius cauſa ſit forma ipſa, ut ex* Analyticis *eſt notum, ut autem ei inſit,* Forma *ſeu εἶδος ipſum cauſa eſt; & nequaquam ſubiectum pro-*

*prij* πάθους. *Vt madefacere & humectare, aquæ ineſt, cuius proprij cauſa ſit, & nō ſubiectum, forma eſſentialis aquæ. Proprium Magnetis eſt ut trahat ferrum, huius energeæ ſubiecti eſt compoſitus Magnes ex forma & materia ſua, ſed Magnetis forma ipſa, per ſe cauſa eſt, non ſubiectum, ut hæc ipſi uis & facultas inſit. In animatis autem corporibus etiam organicæ cauſæ conſiderantur, quibus inanima (ut notum eſt) deſtituuntur. Carnis forma ſeu* φύσις, *ab anima dependet & nexa eſt, eſtq́; caro animæ nutrientis inſtrumentum, ut principalis cauſæ, quæ eſt forma &* εἶδος *ipſum corporis animati, propter quam animæ formam & agit alteratq́; caro, aßimilando ſcilicet ſibi nutrimentum, & patitur etiam, recipiendo in ſe propter materiam ſuam nutritionem paßiuam, qua non nutrire ſeu aßimilare, ſed nutriri caro dicitur. De cætero Ariſtoteles duplex ſignificatum eſſe eius, Quo dicimur intelligere, aut, Quo ſentire, his expoſuit uerbis.* Ἐπεὶ δὲ ᾧ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, διχῶς λέγεται, καθάπερ, ᾧ ἐπιστάμεθα. τούτων δὲ λέγομεν, τὸ μὲν Ἐπιστήμην, τὸ δὲ ψυχήν. Ἑκατέρῳ γὰρ τούτων φαμὲν ἐπίστασθαι. ὁμοίως δὲ καὶ ᾧ ὑγιαίνομεν, τὸ μὲν ὑγίεια, τὸ δὲ μορίῳ τινὶ τοῦ σώματος, ἢ καὶ ὅλῳ. τούτων, δ' ἡ μὲν ἐπιστήμη, καὶ ὑγίεια, μορφὴ καὶ εἶδός τι, καὶ λόγος, καὶ οἷον ἐνέργεια τῶν δεκτικῶν, ἡ μὲν τοῦ Ἐπιστημονικοῦ, ἡ δὲ τοῦ ὑγιαστικοῦ. Δοκεῖ γὰρ ἐν τῷ Πάσχοντι, καὶ διατιθεμένῳ ἡ τῶν Ποιητικῶν ὑπάρχειν Ἐνέργεια. Ἡ ψυχὴ δέ τοῦτο, ᾧ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτως) *quia cauſa eſt)* ὥστε λόγος τις ἂν εἴη, καὶ εἶδος, ἀλλ' οὐχ ὡς ὕλη καὶ τὸ ὑποκείμενον. *His ex Ariſtotele recitatis liquet, Quo intelligere dicamur, duplex eſſe, Vnum eſſe, Potentiam animæ, quæ ſit tanquam forma, nempe mentem ſimplicem, alterum, facultatem animæ ſentientem, quæ ſit quaſi materia, &*

*ria, & ſubiectum ipſius, tanquam ἐντελεχείας, ut ſine qua energ(ι)an intelligendi Mens in homine præſtare nequeat. Tertium, compoſitum intellectum ex utriſq;, quod patientem ſeu compoſitam Mentem ſupra appellauimus. Vt autem homo intelligat, aut ſentiat, aut uegetetur, utrumq; eſt in cauſa, tum materia inſtrumenti ſcilicet, tum forma. Sed potior eſt forma, & διότι cauſa, materia autem, καὶ τὸ πρῶτον δεκτικόν, nempe οἰκεῖα ὕλη, duntaxat pro imperfecta, & ὅτι ἐστὶ cauſa numeratur. His cauſis compoſito inſtrumento proprium πάθος ineſſe demonſtramus. Hactenus demonſtratum eſt, in ſubſtantia humani intellectus tria conſiderari, nempe formam, quæ ſit agens & ſimplex intellectus, alterum, ut ſubiectum quod perficiatur hac forma, nempe ſentiētem animæ facultatem, intelligentia enim perfectior eſt ſenſu rerum. Tertium, ex utriſq; compoſitum, quod ipſum in primis humanus intellectus dicatur, cuius proprium eſt, ut ſit diſciplinæ capax, & qui ab homine non ſit ſeparabilis. nam ſimplicem & agentem, ſeparabilem & χωριστὸν eſſe, ſuo loco oſtendemus. His demonſtratis manifeſtiſſimum eſt patibilem, agentemq; intellectū, nullo modo reipſa ſeu realiter eundem eſſe, ut cenſet Scaliger. Simplex enim, & compoſita, quomodo una realiter poſſunt eſſe ſubſtantia? τριχῶς enim uſurpari uocabulum ſubſtantiæ, monet Ariſtoteles, & ſimplex, ac compoſitum, pro eodem numerare, contradictionem implicat. Itaque miror Scaligerū tam longè aberraſſe à uero, qui utrumq; pro uno eodemq; intellectu numerauerit. Aut contra Ariſtotelem ſentiens, agentem, quamobrem fruſtra poni ſit arbitratus. Sed miſſa hæc facio, nolo enim, pro aut contra quenquam diſputare in præſentia, ne inſtituti mei & breuitatis oblitus eſſe uidear. Propter patibilem intellectum*

*anima humana, ſeu homo potius, per eſſentiam unus, & ſentire, & intelligere res dicitur.* Percipit autẽ unus idemque numero, & αἰσθητὰ, & νοητὰ, *illa quidẽ inſtrumento ſenſuum, hæc uerò, inſtrumento intellectus, ut interim ſenſus* τὰ νοητὰ, & *intellectus* τὰ αἰσθητὰ *nequeat percipere.* At dixerit forſan aliquis, *ſi non apprehendat phantaſmata intellectus, qui poterunt ſpecies ſeparari, aut* καθόλου νοήματα *quomodo conſtituentur?* Anima *ſuis organis utrumq; poteſt conſequi, una enim exiſtens & audit, & uidet, & tactu percipit, diuerſis organis, & nihilominus uno eodemq; communi ſenſu, quo uno diſcernit & comparat omnia ſenſilia, qui tamen communis ſenſus ſenſilia quæ ſunt extra, per ſe non percipiat, cùm iis per ſe nõ afficiatur.* Qui *ſit ille ſenſus, notum eſt. Eadem anima ad intelligentiam quoque ſuam reuocat omnes ſuas ſenſiones.* Nam *quæ ſentit, eadem eſt, quæ intelligit etiam, ſed alio organo ſentit, & alio intelligit.* Nam & νοῦν *ipſum, ſeu mentem, organon animæ appellat* Ariſtoteles. *Quare non eſt neceſſe, ut ob id ſentiente anima percipiendo, ipſa quoque mens, ſingularia percipiat.* Nam *anima organo intellectus ſui, quæ ſentiendo percipit, limat & expolit* τῷ χωρίζειν, *ut ex ſenſilibus faciat* νοητὰ, & *ex ſingularibus, uniuerſales notitias architectetur.* Duplex *autem ratio differentiæ manifeſta eſt intellectus, in homine.* Vnius *ſcilicet ratio eſt intellectus qui efficiat, & alterius, in quo tanquam ſubiecto inſunt* νοητὰ εἴδη, *ut qui differant inter ſe tanquam cauſa, & effectus.* Aliud *enim eſt forma ipſa, & aliud, compoſitum ex materia & forma, aliud (inquit* Ariſtoteles*) caro eſt, & aliud* ESSE *ſeu* τὸ εἶδος *carnis, differunt enim realiter.* Nec *ſi una eademq;*

nume-

*numero eſt caro quæ nutrit & nutritur, ob id una ratio ipſius erit* Nam propter *formã nutrire & aßimilare dicitur, propter materiam autem, nutriri. Mens humana, notitia, informat, & informatur.* Nam *ut agens & ἐντελέχεια, efficit & agit, quatenus autem cum ſenſu eſt compoſita, informatur & participat notitijs. Duo hæc, ut totum, & pars, differunt realiter, & reipſa non ſunt unum, quamuis unum eſſentialiter conſtituant.* Et Hominem *quidem, ut nemo dixerit ipſam eſſe animam, quoniam totum, non eſt pars, ita nec patiens & compoſitus intellectus, eſt ipſe ſimplex & agens intellectus.* Quòd *autem uterq; intellectus ſit ἄυλος, & nullum corpus, aut partem corporis informet, manifeſtum ex eo eſt, quòd νοητὰ εἴδη ſunt immutabilia, & quæ cauſa ueritatis aliter ſe habere nequeunt, quoniam ἔνυλα & corporea omnia, mobilia aut mutabilia ſunt.* Quò *reſpiciens* Ariſtoteles *dixit,* τὰ πράγματα περὶ τὸν Νοῦν, ὡς χωριστὰ τῆς ὕλης εἶναι.

Compoſitus *autem & informabilis notitijs intellectus,* quòd non ſit æternus, aut quod non ſit à corpore ſeparabilis, hoc argumento ipſo, quo compoſitus ſtatuitur, liquet, quandoquidem omne compoſitum, ſit diſſolubile. Sed immortalis, & indiſſolubilis, & ſeparabilis, pars eſt eſſentiæ diſſolubilis huius & compoſiti intellectus, ſeipſo intelligens, non efficiens, aut recipiens in ſe notitias, quoad ſeparatus à corpore eſt, purus ſimplexq; intellectus nullo adminiculo ſentientis animæ indigens. Quæritur autem quomodo in corpore exiſtens is, ſeipſo nihil intelligat, extra corpus autem, & ſeparatus, omnia ſeipſo? Poteſtne fieri, ut alius ſit & diuerſus à ſeipſo,

*ſolutus, & uinctus uita corporea? Reſpondemus, quòd ſeparatus alius ſit, ſed non aliud, à ſeipſo.* Vnus *enim eſſentia exiſtens, non unus tamen eſt eſſendi modo, ut linea, una eſt ſubiecto eademq́; recta, & inflexa, cùm nihilominus ſpecie differant (ut in diſcrepantibus numero)* Rectum *& inflexum eſſe, & alia ſint propria* πάθη *rectæ, & alia ſint inflexæ lineæ.* Sic *in præſentia idem numero eſt cui accidit, ut ſeipſo intelligat, & ut adminiculo ſentientis animæ intelligat, & cuius alia propria ſint ſeparati, & alia, cum uita corporea compoſiti & deuincti. Mutatio hæc non perimit eſſentiam ſubiecti dum alia atq; alia ſpecies ipſius conſtituitur, in medio quodammodo æternorum & caducorum exiſtens, ſimplicium, & cum alio compoſitorum.* A*ſtrictus ergo uinculis corporeis intellectus impeditur, ut ſeipſo intelligere nequeat, tametſi ipſe ſit omnia ſua, per eſſentiam,* νοητὰ ἤδη. Potentia *intelligendi autem hac captiuitate quaſi non perimitur, quin liberatus uinculis corporeis ſeipſo omnia intelligat.* Perinde *ut ſi captus ſit oculis quiſpiam, potentia tamen uidendi animæ non aboletur, ut reſtituto ſcilicet ſenſu, nihil non uidere poßit. Ita ſeparatus & à corpore ſecretus intellectus, ſeipſo omnia* νοητὰ *percipit, concretus autem & ſociatus cum uita corporea, nihil hoc modo intelligit. Separatus à corpore, purus eſt, & per eſſentiam ſimplex actus eſt, & ut* Ariſtotel. *inquit,* οὐσίᾳ, *eſt* ἐνέργεια. *Cum corpore unitus, in aliquo actus eſt, & cum potentia agendi & patiendi iunctus, & non uerè, ac ſimpliciter eſt quod eſſe dicitur.* Non *enim ſimpliciter eſt intellectus, ſed compoſitus & cum ſenſu connexus.* Mi*rabitur* Cœcus *natus, ſi de repente ſenſum oculorum adeptus, tot, & tam admirandas res, coloribus, figuris, magnitudine, numero, motu & ſtatu differentes, tam uarias, mul-*

*tas & magnas aſpiciat ſubitò, & in ſe talem potentiam eſſe, ſtupeſcet, cuius energeian & actionem priuatio & impotentia oculorum impedierit.* Idem accidit Menti *noſtræ uinculis corporeis liberatæ, ſi nullo corporeo adminiculo indigens, ſeipſa omnia intelligat. Iſto nomine celebratur* Sapientium *hic conſenſus ab Ariſtotele, quando dicunt, præſtabilius eſſe* Menti *ſi absq;, quàm ſi in & cum corpore uiuat.* Nam *corporis cauſa ſic obruta & obtuſa interdum apparet, ut in multis hominibus (autore* Platone) *non uideatur ineſſe etiam* Mens, *& nulla ſpecies eius cognoſcatur, ut ſimilis homo ſit* Glauco *cuidam, qui in mari ſubmerſus, & alga, atq; arena oppletus, uix à familiariſsimis ac domeſticis ſit agnitus, ut in libro quodam de* Republica *ſcribit idem* Plato. Hoc *modo intellectum humanum peccato originis deformatum eſſe & ſtupefactum cenſemus, quoad ſcili. imagine* Dei *in nobis, corporea mole & ſtupore propter peccatum oppreſſa, perfectæ uirtutis & ſcientiæ habitu cultuq; prorſus deſtituimur, filijq; (ut* Paulus *teſtatur) iræ* Dei *naſcimur.* Quò *reſpiciens* Plato *in* Gorgia, *corpus noſtrum* Mentis *ſeu intellectus ſepulchrum, & alibi, carcerem appellat, quod uidelicet in corpore exiſtens, aut nihil intelligat, aut intelligendo multis prauis & uanis opinionibus imbuatur, umbras pro ueritate rerum conſectando ſcilicet, & pro ueris, plæraq; falſa apprehendendo.* Etenim *in corpore incluſus intellectus, non ſeipſo* ὄντως *rerum intelligit, ſed inſtrumentis ſenſuum dumtaxat accidentia ſubſtantiarum, quæ ſunt* φαινόμενα ὄντα, apprehendit. At *ſecretus à corpore, ſeipſo intelligens, nulla neq; ad efficiendum, neq; ad recipiendum* νοήματα, *potentia eſt præditus,* τὰ ὄντως ὄντα *noſcit, quo nomine, non* δυνάμει, *quæ perficitur accidētis quadam* energeια, *ſed* οὐσίᾳ, ἐνοϕ-

γείᾳ & non δυνάμει ſubſiſtere dicitur; in quo, non differunt, ſed prorſus idem ſunt, intellectus ipſe, intelligibile, & intelligere ipſum. Quo ſic habente, conſta' hominem non ſimpliciter intelligere, propter cauſam paulò antè expoſitam. In corpore enim intellectus exiſtens, eſt actus, cum potentia ſubiecti compoſitus, & non ſimplici actu ſincerus, & purus, quoniam Ariſtoteles, rectæ lineæ, illum autem alterum, compoſitæ, & inflexæ comparat, quo ſignificatur compoſitionem, & ſimplicitatem, accidere humano intellectui, uni eidemq; ad numerum exiſtenti. Seipſo ens, & εὐθὺς ὅπερ τι ὄν non eſt, quod cum alio, aut ratione alterius quidpiam eſſe dicitur. Nam de ſeparato intellectu ſic ſcribit Ariſtoteles χωρισθεὶς τε, μόνον ἐστὶ τοῦθ' ὅπερ ἐστὶ καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον. Media eſt Anima humana inter formas diuinas & naturales. Diuinæ ſunt, τῇ οὐσίᾳ, ἐνεργείᾳ, ſed naturales ſunt, τῇ οὐσίᾳ, δυνάμει, illæ, ſeipſis ſunt perfectæ, hæ uerò potentia ſubiecti, & actionibus paſſionibusq; ratione potentiæ ſuæ perficiuntur. Nam non ſeipſis, ſed τῷ θιγγάνειν perfici, & perfectæ dicuntur eſſe naturales ſubſtantiæ. Nihil eſt enim quod ipſum reſpectu ſui ipſius agat, aut patiatur quidpiam. Talem oportuit eſſe συνέχειαν rerum à Deo conditarum, ut inter extrema, eſſet medium quoddam utroq; participans, mortale, & immortale exiſtens. At niſi pars ſit animæ, intellectus, mediam hanc conditionem habere nequit. Propter animam enim mens cum corpore componitur, & præter intellectum, Anima uiciſſim ſeparabilis eſt à corpore. Quo manifeſtus eſt error illorum, qui unum, & communem, eundemq; numero intellectum omnium hominum eſſe dixerunt, & qui patibilem

*lem dumtaxat, & non agentem etiam ſtatuunt eſſe. Nec eſt abſurdum dictu, propter animam, actum intellectus permutari potentia, qua nimirum è ſimplici, factus compoſitus, agens, & patiens dicatur, ut intellectus ſit ſimilis ſuæ operationi, qua ex potẽtia intelligibilibus faciat actu intelligibilia, ex caducis & mutabilibus, immutabilia, & æterna* νοήματα. *Alioqui formæ naturales dumtaxat* ἐπινοίᾳ, *& non reipſa ſunt ſeparabiles. Intellectus autem ſeparans omnia, ipſe etiam reipſa & uera ſeparabilis eſt in corpore, extra corpus, ſeipſo actus &* οὐσίᾳ *exiſtens, ſeipſo perfectus, & aliud (ſi in corpore ſit) perficiens. Nam ut Anima corpus, ſic intellectus animam perficit, ſed non qua ratione perfectus ipſe eſt Intellectus, eadem perficere etiam animam dicendus eſt, quòd anima ſcilicet non ſit* οὐσίᾳ ἐνεργείᾳ *& hæc quidem natura ipſius eſt, ut alia cauſa non quærenda eſſe uideatur. Natura enim ipſa eſt principium, cuius quærenda cauſa alia non ſit. Quòd accidens illud proprium ſit animæ humanæ propter intellectum, in corpore, & extra corpus ſcilicet eſſe, his, quæ diximus manifeſtum eſt. Alioqui enim forma nulla eſt, autore Ariſtotele, Metaphy.* λ. *naturalis, quæ ſeparari poßit, excepta anima Hominis. Forma enim naturalis ſimul eſt cum rei naturalis ſubſtantia, & ſimul ambo perimũtur,* εἰ δὲ καὶ ὕστερόν τι ὑπομένει, σκεπτέον, ἐπ' ἐνίων γὰρ οὐδὲν κωλύει, οἷον εἰ ἡ ψυχὴ τοιοῦτον μὴ πᾶσα, ἀλλ' ὁ νοῦς. πᾶσαν γὰρ ἀδύνατον οὕτως. *Omnes animas ſeparabiles eſſe, Pythagoræ uiſum fuit. At ſolam humanam eſſe ſeparabilem, probat Ariſt. in tertio libro de anima, argumento ſcilicet, quo liquet intellectum nulla informatione corporis intelligere, quamuis ad intelligendum utatur corporea*

*nempe ſentientis animæ uita & energεια. Nam ſeipſo, ſed non informato quodam à ſe inſtrumento, facit ex potentia intelligibilibus, actu intellecta, cum reliquæ δυνάμεις informando organon, ex potentia talibus obiectis, uel ſubiectis, faciant actu talia, ut uiſus, ex potentiæ aſpectabili, facit actu aſpectabile, & ſanguifica facultas, ex potentia, facit ut actu ſit ſanguis, & caro, ex ſanguine carnem. At efficiens νοητὸν εἶδος, idipſum quoq; νοητὸν erit, ſed alio modo quàm effectum εἶδος. Nam recipiendo in ſe νοητὰ εἴδη, ipſe quoq; intellectus fit νοητός. Omnes δυνάμεις animæ, ſunt in ipſa anima, aut potius ſunt ipſa eſſentia animæ, & hoc modo ἄϋλον quiddã ſunt δυνάμεις. Eædem ſunt etiam in materia ſua, quam ut φύσεις quædam informant, ſed ἐνύλως, quibus materiatis inſtrumentis ἄϋλοι ſcilic. δυνάμεις, ſuas uitas & energειας exercent. Ita ſe quoq; habet intellectus noſter reſpectu eorum, quorum efficiens eſt cauſa νοημάτων, quibus animam ſuam informat, quæ nihil aliud ſunt quàm ἐνέργεια intellectus, quæ nimirum ſit ipſius quoddam accidens. At prior eſt actus (ut docet Ariſtoteles in Metaphy.) potentia, & prior ſubſtantia eſt, accidente, & priusq; efficiens eſt, ſuo effectu. Hæc ergo per accidens νοητά, & νοήματα, præcedunt φύσει per ſe, & ſubſtantialiter νοητά, quæ nimirum nihil aliud ſint, quàm ipſe intellectus ſeipſo intelligens, & quorum cauſa ſimplex & ſeparatus, ſit οὐσίᾳ ἐνεργείᾳ. Et ſimplex quidem, compoſitione ſua coëſſentialem ſibi patibilem producit, tametſi differant (ut ſupra diximus) inter ſe realiter. Ille ſeparabilis eſt, hic uerò inſeparabilis, ille nihil aliud eſt eſſentialiter, quàm νοητὰ ipſa εἴδη, hic uero, ut effectus quoſdam propter animam, in ſe recipit τὰ νοητὰ, habituq; informatur, ille φύσει, καὶ χρόνῳ, ἁπλῶς (ſecundum philoſophos) prior, hic uerò*

dum-

*duntaxat χρόνῳ prior eſt, ſed non ἁπλῶς, ſed ut Ariſtoteles inquit ὡς ἐν ἑνὶ, id eſt, reſpectu unius ſingularis Hominis, qui prius δυνάμει, quàm actu χωριστὸν habeat intellectum, & prius etiam δυνάμει, quàm actu ſit intelligens. Separatus autem ſeu χωριστὸς eſt, qui ſeipſo, & ſemper intelligit, ſeipſo intelligens, & non potentia, ſed actu proprio νοητός, cùm nihil aliud ſit ille χωριστὸς quàm ſua νοητά, ut anima nihil aliud eſt, quàm potentiæ ſuæ, ſed tamen profert ſe, extra ſe eminens, quando ſuus non eſt, & nõ incompoſitus fuerit cum ſentiente anima. Niſi enim χωριστὸς ſit, ipſe primo, & ſeipſo νοητός, alio ſcilicet quodam ipſum νοητὸν fieri oportebit, nec poterit δυνάμει νοητὰ efficere, ut actu ſint νοητά, niſi efficiens careat potẽtia, qua fiat ab alio quodam νοητός. Nam δυνάμει exiſtens intellectus, perficitur, ut compoſitus habitu, quem* Auerroës *appellat adeptum, ſeu acquiſitum intellectum.* Nos Chriſtiani, *ut animam humanam creatam, ita intellectum ipſi concreatum eſſe dicimus naſcente* Homine, *& cum ipſo, adeoq; propter ipſum, animam ſeparabilem eſſe à corpore, non tantum credimus, ſed etiam præſente hac demonſtratione aſtruimus.* Propter *quam cauſam autem, idem numero exiſtens, actum ſimplicem, & compoſitum habere poßit noſter intellectus, paulò antè fuit expoſitum, & quamobrem, ſimplex, ſeipſo, & non ſimplex, non ſeipſo intelligat, quo differat ſcilicet anima noſtra à naturalibus formis inſeparabilibus, & medium locum inter naturales, & incorporeas ſubſtantias habeat.* Ariſtoteles *cœleſtes motores & intellectus, hoc differre dicit ab humano intellectu, quòd uidelicet illi, ſeipſis, & ſemper intelligant, noſter autem, neq; ſeipſo, neq; ſemper, ſed adminiculo quodã, & extra ſeſe proferens,* καὶ τῷ θιγγάνειν, *intelligat.* Diui-

*nam enim* Mentem *ſcribit eſſe ipſam* Energeıan, *ſed noſtram mentem, participare, ut accidente quodam, energıa intellectionis. Quod dicimus, breuiſsimis & obſcuriſsimis his uerbis* Ariſtoteles *intelligi uoluit* Metaphy: lib. λ. Αὐτὸν δὲ νοῦ ὁ Νοῦς, κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ. Νοητὸς γὰρ γίνεται θιγγάνων, καὶ νοῶν. ὥστε ταυτόν, Νοῦς, καὶ Νοητόν, τὸ γὰρ δεκτικὸν τοῦ νοητοῦ, καὶ τῆς οὐσίας, Νοῦς. Ενεργεῖ δὲ ἔχων. ὥστε ἐκεῖνο μᾶλλον, τούτου, ὃ δοκεῖ ὁ Νοῦς, θεῖον ἔχειν, καὶ ἡ θεωρία, τὸ ἥδιστον καὶ ἄριστον. Εἰ οὖν οὕτως ἔχει εὖ, ὡς ἡμεῖς ποτέ, ὁ Θεός, ἀεὶ θαυμαστόν, εἰ δὲ μᾶλλον, ἔτι θαυμασιώτερον. ἔχει δὲ, ὧδε, καὶ ζωὴ δέγε ὑπάρχει. ἡ γὰρ Νοῦ ἐνέργεια, ζωή. Ἐκεῖνος δὲ ἡ ἐνέργεια. ἐνέργεια δὲ ἡ καθ᾽ αὑτήν, ἐκείνου, ζωὴ ἀρίστη, καὶ ἀΐδιος. *Proprium illud eſt omnis* Intellectus, *ut ipſe ſeipſum intelligat, aut ſeipſum poßit intelligere. Sed hoc humanus differt ab eo, qui ſeparatus eſt, aut ab eo quem* Ariſtoteles *hoc loco Diuinum appellat, ut* Humanus *ſcilicet,* τῷ ἔχειν, καὶ κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ *ſeipſum intelligit, ſed* χωριστός *& diuinus intellectus, eſſentialiter ipſe ſeipſum intelligit, cùm ei non accidat* Energeıa *hæc, ſed ſit ipſa per ſe* Energeıa, *nempe, ut* Ariſtoteles *loquitur,* ἡ ἐνέργεια, *quæ non ut accidens, ſed ut* Genus *prædicetur, nempe exiſtens ſemetipſo* οὐσία, ἐνεργεία, *de quo ſupra dictum. Talis autem ſemper intelligit, uitaq́; & energıa ſempiterna fruitur, & eadem, propter* θεωρίαν *perpetuam, beatiſsima perfecta, & ſimplex hæc eſt mens, quæ ſeipſa,* καὶ μὴ τῷ θιγγάνειν *intelligit. Imperfecta autem & compoſita eſt mens, quæ intelligit ſeipſam,* τῷ ἔχειν νοήματα, ἢ κατὰ μετάληψιν τοῦ νοητοῦ. *Derogat ergo perfectionem menti, ſi in corpore mortali uiuat. Extra corpus illud uiuens eſt uerè id quod dicitur eſſe. Extra corpus & ſeparari anima poteſt, propter mentẽ, ſed*

*mens*

*mens corporis hoſpitio utitur, propter animã ſuam.* Nam *ut anima, corpus, ſic animam, mens ipſa uiuificat.* Quò reſpiciens Ariſtot. *interrogatus quid docti, ab indoctis differrent, reſpondit.* Quod *uiui à mortuis.* Prior ergo φύσις *ſimplex eſt, compoſita mente, & ſimplex, ſine compoſita, compoſita autem nõ poteſt eſſe ſine ſimplici.* Tempore *autem philoſophi, ſimplicem, priorem dicunt eſſe* ἁπλῶς *compoſita mente. Sed nos creatam animã ſtatuentes, compoſitam priorẽ* γενέσει *& tempore eſſe dicimus; & ſolutã corporeis uinculis, ſimplicem, poſteriorẽ eſſe mentem.* De *philoſophorũ ſententia ſupra ſatis ſuperq; dictũ, & quomodo intellectus* θύραθεν *ingrediatur, de ſententia* Ariſtotelis *libro 2 de generatione animalium, qui nulla fide diuinorũ oraculorũ prælucente, ingrediens & egredientiũ è corporib. animarũ innumerabiles periodos fingit.* Quæ *periodi debuiſſet* Auerroi *ſatisfacere, qui ut uitaret infinitatem animarũ directam,* Vnum *numero omnium hominũ ſtatuit eſſe intellectũ agentem. Sed de philoſophicis partim opinionibus, partim demonſtrationib dictum ſatis ſuperq;, reſtat, ut etiam quæ ad pietatem ac religionẽ noſtram pertinent, quæ de immortalitate animorum noſtrorũ diximus, cum literarũ ſacrarũ oraculis conſentanea eſſe probemus, hoc excepto, quòd animas noſtras increatas eſſe ſcribunt* Philoſophi, *ſed creatas eſſe,* Theologia *noſtra tradit, & piè ac religiosè credendũ nobis præcipit.* Ex limo terræ *apparato corpore humano, quoad ipſum* ὡσὰν ὕλη *potuit eſſe animæ, in ipſum, opifice* Deo θύραθεν *ingreſſa eſt à* Deo *creata anima, quam, creationẽ, ſcriptura appellat inſpirationem animæ uiuentis, propter quam* Aratus *poëta humanum genus eſſe progeniem* Iouis *uerſu ſuo celebrauit.* In *animam uiuentem, & in ſimilitudinẽ* Dei *factus dicitur homo.* Viuunt *cætera omnia animata, & animata*

*ſuis animabus, ſed animæ eorundem, non uiuunt, id eſt, per ſe, & propriam nullam habent energeian ſine informatione corporei inſtrumenti, cum uita, & uiuere ipſum ſignificent energeian animæ quam uel ipſa per ſe, uel ratione corporis à ſe informati, exercet, & præſtat.* Et hoc modo *dicitur homo factus eſſe in animam uiuentem, ut quæ intelligendo, diuina & ſempiterna non corporea energeia & uita uiuere dicatur.* Et multò *magis quoad ſeparata, aut ſeparabilis à corpore, ſeipſa uiuit, &* οὐσίᾳ, ἐνεργείᾳ *exiſtit, ut paulò ante fuit demonſtratũ.* Nam quoad eſt in corpore *anima reſpectu ſuæ energeiæ & uitæ,* οὐσίᾳ δυνάμει *eſſe dicitur, quia uidelicet agit, & patitur quidpiam.* At *uerò ſine energeia corporea quia nequit eſſe anima perfecta (quoniam ut* Plato *inquit,* πᾶσα ψυχὴ ἐπιμελεῖται τοῦ σώματος) *uera & religioſa fide credimus futurum, ut in nouiſſimo in glorioſis & æternis corporibus reſurgant animæ, nõ propter corpus animabus, ſed corporibus, propter animas in æternum uicturis, proximam cum ſpiritalibus ſubſtantijs, cognationem habituris, ut anima ſcilicet, propter ſimplicis intellectus actum,* Deum *quoq; uiſura ſit, ſicuti eſt, & non tam uiuens, quàm ipſa uiuificans poſſit dici, impertiendo corpori etiam ſuo, eiuſq; energijs, ſpirituales perfectiones, quarum in ſacris literis crebra mentio fit.* Ecquis *autem non intelligit, propter mentem, factũ eſſe hominem ad ſimilitudinem* Dei? *ſiquidem mens prima, & ſecunda, ſeu compoſita, cum* Anima *ſint conſubſtantiale &* ὁμοούσιον *quiddam, ut non ſine cauſa* Plato παίγνιον τοῦ θεοῦ *eſſe dixerit hominem.* Proportione, *prima mens aſſimiletur patri, ſecunda & compoſita mens cum uita corporea,* τῷ λόγῳ *comparetur, & propter productionem à prima mente, comparabilis ſit filio* Dei, *anima*

*autem ab utriſq; procedens, Spiritui ſancto Dei compare-tur, quo gubernari & adminiſtrari omnia à prima, & ſecunda mente dicuntur.* Pertinent etiam illa ad ſimilitudinem imaginis Dei, quæ Theologi referunt ad perfectionem uirtutum diuinarum, quæ in præſentia omittenda eſſe cenſui. Perfectis omnibus animæ potentijs à protoplaſte, creatus eſt homo, ſed habitu tamen non confirmatis uerũ poſterius confirmandis ſi in ueritate & fide conſtitiſſet, quam fraudulenta perſuaſione labefectauit Satan à Deo ſeparans & diuellens hominem. Suo ueneno ſerpens antiquus ſic infecit & deformauit hominis animæ, nempe intellectus, & uoluntatis uires, ut in homine uix agnoſcatur ſpecies humanæ naturæ, quem ſic corruptum & deprauatum depinxerunt etiam Philoſophi, dum uires humani ingenij Ariſtoteles comparat paralytico corpori in Ethicis, Plato autem, Glauco ſubmerſo in mari, ſic ſordibus alga ſcil. & arena referto, & conſpurcato, ut à ſuis uix agnoſci potuerit, de quo ſupra quoq; dictum fuit. Propter impotentiam, corruptam imaginẽ Dei in homine dicimus fuiſſe, non quod eſſentia potentiarum, nempe intellectus, & uoluntatis abolita fuerit, quam hæreſin rudibus & indoctis paralogiſmis quidam hodie defendunt. Ergo anima à Deo perfectiſſima potentijs ſuis fuit creata, excepto eo, quòd uoluntas ipſius inter bonum, & malum fuit media conſtituta, & potentia contradictionis prædita, quam operando poſtea habitu, ad alterutrum propenſum, deuincire. Nam ſi perfidia Adamus non peccaſſet, iuſtitia originis confirmata uoluntate, filius gratiæ cum omni ſua poſteritate fuiſſet, cùm propter peccatum & inobedientiam, nunc omnes filij iræ Dei naſcamur, propagatione ſcilicet transfuſo in nos peccato originis. Vitium illud naturale notum

Qualitas eſt & non eſſentia, qua beati aut miſeri ſumus.

fuit philoſophus, ſed cauſa ipſius fuit incognita propter uerbũ Dei incognitũ. Propter ἀπιστίαν, defectione à Deo hac ἀταξίᾳ bono ſuo, factũ eſt ut priuaretur Adamus, quod bonum ipſum fuit, ut corporea uita, obediret uitæ ſpiritus & animæ. Nunc contra fit, ut anima ſit in poteſtate carnis, & concupiſcẽtijs diſtrahatur à Deo, et ipſa, à ſeipſa diſſentiat, & homo pro imagine Dei factus ſit tanquã Equus & Mulus, in quib. nõ eſt intellectus. Totus obnoxius factus eſt homo, & uenundatus quaſi ſub haſta Satanæ. Nec animã, nec corpus ſuũ uendicare in ueritatis & iuſtitiæ libertatem ualet. Propter labem hanc & infirmitatẽ omnia mala & miſeriæ à corpore redundant in animam hominis ipſius, quo corpore tanquam inſtrumẽto, Satan uſus fuit ad perdendã & interficiendam animam humanam. Quorum malorum cauſa ſit, caro ſeu potius Spiritus concupiſcentia carnis corruptus, quibuſq; deſiderijs peccatum originis colluctetur cum ſpiritu noſtro, D. Paulus in Epiſtolis ſuis diſertiſsimè explanat. Non eſt pernitioſior hoſtis, quàm ipſe in ſinu ſuo, in penetralibus cordis ſui geſtat miſer Homo, innumerabilia ſunt mala, infinitisq; caſibus ſumus expoſiti, innumerabiles ſunt morbi animæ, & corporis, item quibus conflictatur per omnem ſuam uitam Homo mancipium Satanæ exiſtens. Illud ſcilicet ipſum eſt, eſſe in exilio, & peregrinari à Deo, uoluptatibusq; paradiſi carere. Miſeram hanc & perditam hanc uitam Diuus Ioannes in Canonica ſua definiuit, Superbia uitæ, & concupiſcentia oculorum. Illecebris his omnibus peccatorum cauſis implicantur homines, qui capitur his, mancipari ſolet omnibus reliquis corruptelis & peccatis, quibus excludimur à regno Dei. In his enim, qui ſic animo afficiuntur, pax, & tranquillitas cœleſtis uitæ ineſſe nequit.

Non

*Non autem cenſendum, quòd ea quæ ſunt extra nos, mala ſint, ſiquidem φύσει ſunt omnia hæc bona, ſed quòd propter nos, id eſt, propter prauum appetitum, nobis mala & pernitioſa exiſtant, ut propter ſuperbiam uitæ, & propter concupiſcentiam oculorum, perſuaſiſsimum nobis eſſe oportet. In nobis eſt cauſa, in nobis latet uenenum illud, ingenerata ſcilicet prauitas, uanitas & morbus animæ intelligentis, & appetentis, inſitum & originis malum ac peccatum, quo nobis ipſis ſumus autores noſtræ infœlicitatis, & miſeriæ ac interitus. Non enim uincitur aliquis niſi propter infirmitatem, cuius Creator non fuit cauſa, ſed inimicus Creatoris Dei, qui in ueritate non ſtetit, fraudulentus & mendax. Opinione fallacis boni Satan imbuit & decipit hominem, dum priuat & ſpoliat ipſum fide, & ſcientia ueritatis, apparentium fuco ipſum decipiens, perſuaſit primo homini, ut non crederet ueritati, ut non fidem haberet Deo, quo deceptus, factus eſt peccati mancipium, aut potius ſaburra omnium malorum & miſeriarum omnibus animi, & corporis uiribus debilitatis & fractis, quas tamen omnes integras & perfectas accepiſſet à Creatore Deo, ſed poſtea ἀπιστίᾳ ſua ingratus & perfidus eas amiſiſset. Quæ ſanè ἀπιστία radix fuit peccatorum (Theologi peccatum originis appellant) cui tam fuit iratus Deus, ut illud peſtiferum eſſet uniuerſæ poſteritati humani generis. Paucis perſtrinximus, hisq́; ipſis quàm multa conſentaneè ſcripſerit Plato, deinceps commemorabimus tametſi agreſtiores & in philoſophia rudes quidam Theologi nihil ſcribi aut dici à Philoſophis quod faciat ad intelligentiam ſacrarum literarum imperitiſsimè & ſtultiſsimè opinantur, hominem conſtitutum eſſe ex anima intelligente, & corpore, conſtat inter omnes doctos & in-*

*doctos. Animæ & mētis eſſentiam perpauci perſpexerūt, ita, ut Galenus etiam ingenuè ſit profeſſus ſe quid, aut qualis res ſit anima, ignorare. Plæriq; craſin quandam corporis eſſe ſunt opinati, quod uidelicet pro ratione temperamenti, ingenia, mores, ualetudines hominum inter ſe differant, organicam ſcilicet cauſam ſeu materialem pro principali arripientes. Quæritur quæ cauſa ſit* ἀταξίας *ut præſtantiſſimæ hominis animæ* δυνάμεις *conceſſerint in poteſtatem deterioris, ut uix mente præditus uideatur eſſe homo hac integritate abolita?* Ignota, *ut ſupra diximus, philoſophis fuit cauſa, ſed nobis Chriſtianis ſacris oraculis eſt prodita, quia uidelicet* Adamus *(ut diuus* Auguſtinus *interpretatur) per* ἀπιστίαν *& inobedientiā deſciuit à Creatore ſuo, in ipſo etiam, propter hanc* ἀταξίαν, *obedientia &* τάξις *ſpiritus ſeu animæ & corporis ſublata eſt, quæ* ἀταξία, *pœna eſſet transgreſſionis & contemptus* Dei, *fons & radix omnium malorum in obnoxio homine. Poſt lapſum ſenſit in ſemetipſo diſtractionem & diuulſionem quaſi diſcordiamq; ambarum naturarum* Adamus, *& carnis cum ſpiritu inteſtinum certamen, conſcientiæq; cum peccatis luctam, petulantia carnis, legibus mentis obſtrepente & reluctante, omnibus potentijs; atrociſſimis pugnantibus inter ſe diſsidijs, ut nihil tranquillum, pacatum, & concors in ipſo eſſet, corporiq; & animæ ipſius* De*ſertoris* Dei *aduerſarentur omnia ſaluti & incolumitati, quia ipſe aduerſatus erat ſua* ἀπιστίᾳ Deo, *unitatis, uitæ, & pacis autori tenduntur pernitioſiſſimæ inſidiæ menti humanæ & uoluntati, ut oppleta mens ignorantia, ueritatem non uideat, & uoluntas atq; appetitus uitijs deprauatus, & corruptus, ut uerum bonum auerſans, peſtiferis cupiditatibus implicetur, ſpecioſis per ignorantiam & fucatis bo,*

*tis bonis deceptus. Per ſenſus corporeos (ut Plato paßim docet) ignorantia rerum, & pernitioſis uoluptatibus cap i- tur animus noſter, ut ſaluus & ſanus eſſe non poßit niſi à corporis conſortio ſemetipſum philoſophia uera libera- uerit, quæ ipſa nihil aliud ſit, quàm meditatio mortis, quâ nimirum, tanquam ſacris initijs* καὶ τελεταῖς *prauitatem & uanitatem uitæ exuat anima noſtra, & expeditum ad cœ- lum iter ſibi paret. Paßim talibus diſputationibus referti ſunt* Platonis Dialogi, *ut nec peccati nobis à natura cor- rupta inſiti, neque etiam remedij huius corruptelæ fuerint ignari philoſophi. Veruntamē neſcientes cauſam corrup- tionis huius, non mirum eſt, ſi, quomodo & quibus* τελε- ταῖσ *ſeu initijs miſeria hæc & labes animarum noſtrarū ſit expianda, & in integrum reſtituenda ignorauerunt.* Ex- *piationem & expurgationem animarum noſtrarum, quæ nihil aliud eſt, quàm remißio peccatorum, nos* Chriſtiani *diuinitus edocti, alijs ſacris & initijs, quàm hi, quibus non reuelauit* Deus *myſteria hæc, transſcribimus.* Veruntamen *contemnenda illa nequaquam ſunt, quæ à ſummis philoſo- phis conſentaneè ſacris oraculis ſcribuntur, ut indocti &* Agreſtes *quidam faciunt, qui plus arroganti ſuæ inſci- entiæ, quàm aliorum modeſtæ, & philoſophiæ coniunctæ ſcientiæ ſolidiori, tribuunt.* Permiſſum *ergo nobis ſit ali- quantiſper philoſophari de his, quæ ſacra &* Chriſtiana *fides ſine dubitatione apprehendit, & confitetur ſine de- monſtrationibus uera eſſe.* Superbia *uitæ, & concupiſ- centia oculorum impulerūt primum humani generis pro- pagatorem ad incredulitatem & ad conceptum præcepti diuini, & hæc* ἀπιστία *ſcilicet fuit origo ut uniuerſum ge- nus humanum poteſtati ſubijceretur maligni ſpiritus, cul- pa, & uitium inobedientiæ huius, generatione propa-*

*gatũ eſt in omnes, iuſta Dei uindicta, & lege naturæ tranſfuſum; quã neceſſe eſt prolem ſimilem parentibus naſci, & peccatores à peccatoribus, iniuſti ab iniuſtis naſci, quibus Deus propitius non ſolet eſſe.* Nulla autem cauſa eſt, *propter quam Deus uideri nobis debeat iniquus, quando à ſe creatam ſine peccato animam, corpori ut malis his obnoxio inſinuat, cuius conſortio atq; coniugio ipſa quoque peccatis obnoxia fiat anima.* In hac *infirma & obnoxia carne naſci nos Deus uoluit æterno ſapientiæ ſuæ conſilio, ut nimirum uaſa eſſemus (ut loquitur ſcriptura) partim iuſtitiæ, partim miſericordiæ ipſius, quandoquidem propter gloriam ſuam omnia creauerit, ut omnis creatura confiteretur, non modo ſe à Deo habere, quòd ſit, ſed quòd etiam ſit in optimo ſuo ſtatu, & agnoſceret ipſam à ſeipſa habere, ſine miſericorde Deo, dumtaxat miſeri & calamitoſi ſtatus, cauſam ac principium, ut ſolius celebretur in omnibus gloria Dei & iuſti, & Miſericordis.* Iudicia Domini *inquit ſcriptura, ſunt abyſſus multa, & miſeretur cui uult, nemini autem iratus eſt, niſi his, qui propria culpa offendentes ab ipſo Deo creatore deſciuerunt.* Merito ſuo *reprobi ſunt peccatores, electionis nulla alia cauſa eſt, quàm gratia & miſericordia diuina, quæ nullius præſcripto meriti aut legibus circumſcribitur.* Verùm denuò *quæres Quid meruere animæ infuſæ, ſine fraude doloq; creatæ?* Homo *lege diuina aliter naſci non potuit, quàm ut obnoxius de obnoxio naſceretur.* Talis *enim ſors & conditio eſt omnium naſcentium, ut* Bos *de* Boue, Equus, *naſceretur de* Equo, *infirma naſcantur ex infirmis, & ualentia ex ualidis, generoſa, ex generoſis, peccatores, ex peccatoribus.* Non *enim poſſunt animæ procreari ſine coniugio corporum, quo coniugio, menti humanæ tenebræ & ignorantia of-*

*tia offunduntur, & rationi repugnantes libidines, ſeſe opponunt, quibus frenandis impar ſit animus noſter in hoc corpore quaſi ſepultus.* Ignorantia & peccatis mori, mortuusq; dici conſueuit, his enim à diuina gratia & uita excluditur anima, quoniam dum contemplantur & fruuntur *Deo mentes, ſeu Spiritus, uiuere dicuntur, ſin autem priuentur, habentur pro miſeris & mortuis.* At uerò ne quis miretur de iudicio Dei, quo conſtat electos quoſdam eſſe, & Angelos, & Homines, & nonnullos reprobos, quandoquidem nos non ſumus menſura Iudicij Dei, ſed iudiciū Dei ſit menſura electorum & reproborum, in manu enim ipſius & poteſtate ſunt omnia, miſericors & iuſtus diſpenſator omnium, & qui omnia propter gloriam ſuam fecerit, ſiquidem principiū & finis eſt omnium Omnipotens creator & gubernator dominus. Ex neceßitate autem ſuaptè natura ſunt tales creaturæ omnes ut poßint malo, propter ἀταξίαν, participare. Nihil enim ex neceßitate bonum eſt, niſi ſolus Deus, ut qui potentiæ cōtradictionis expers ſolus ſit, & immutabilis. Vt autem Deus (ſecundū philoſophos) ſupremum bonū eſt, tanquam Dux exercituum (reſpectū Creaturarum) ita præter Deum ſummum Creatarum rerum bonum, eſt bonum in creatis à Deo reb. quaſi ſecundum, ordo, quo ſingulorū bonum definitur. Turbatur autem ordo à uoluntate creata, propter defectionem à Deo, quam prauitatem nihilominus in ordinem redigit Deus iuſtitia ſua, ut etiam hoc modo ordinis & iuſtitiæ nihil ſit expers. Natura autem hæc eſt uoluntatis, ut cogi non poßit, cùm per eſſentiam ſit libera, ſed ipſa per ſe principium eſt, non ut natura eſt, ad unum determinatum principiū. Mouetur & afficitur uoluntas, ſed non impellitur, aut cogitur, & ſola eſt extra aleam neceßitatis. Ad malum autem

*mouetur uel per ignorantiã, uel propter affectus, uel propter illecebras, ut etiam ſciens aliquis peccet, quo nullum eſt grauius peccatum quàm conſcium ſui ſceleris aliquem peccare, ut nec ignorantia ſcilicet, nec affectus turbans rationem ſit in cauſa.* Horum omnium *præſcientia diuina eſt, quæ tamen præſcientia, cauſa non ſit per ſe, ut peccet aliquis.* Non enim *quia præſciuntur, ſed quia proficiſcuntur à uoluntate, mala, & uitioſa dicuntur eſſe, in quibus peccatur à nobis.* Nam *niſi præſcius omnium eſſet* Deus, *ordo, & bonum uniuerſi non poſſet conſeruari.* Præſcia *igitur mens diuina omnes numeros iuſtitiæ ſuæ in reprobis, & gratiæ ſuæ amplitudinem in electis oſtendere uoluit, quandoquidem creaturæ omnes mente præditæ, ſint nihil aliud, quàm inſtrumenta & uaſa iuſtitiæ, & miſericordiæ ipſius* Dei. Q*uatenus præſcita, omnia fiunt ex neceßitate, quæ tamẽ ex hypotheſi, et nõ abſoluta eſt neceßitas,* Nam *quod ad naturam præſcitorum pertinet, potuiſſent non fieri.* Ni*hil enim ſuaptè natura tale eſt, ut non potuerit non eſſe aut fieri. Abſolutè enim nihil eſt neceſſarium niſi ſolus* Deus, *ut qui neceßitas ipſa ſit, pro eo ut loquuntur philoſophi, reliqua omnia per ſe, & ſuapte natura contingit eſſe, cùm non ſint* Deus *ipſe.* Minimè *autem omniũ neceſſaria ſunt, quæ à uoluntate creata proficiſcuntur, propter cauſas paulò antè expoſitas.* Itaq; *qui præſcientiam, & non uoluntatem creatam per ſe cauſam malorum dicunt eſſe, hi* Deum *iniquitatis accuſant, ut qui ſuum proprium peccatum in inſtrumento ſuo uindicandum iudicet, ut ſi quis iniuriam gladio, aut ueneno imputet homicidium.* Timere Deum *igitur diſcamus, & ne autorem mali, aut ne iniquum iudicem ipſum putemus eſſe.* Hoc *agamus, ut nosmetipſos cognoſcamus, & quæ damnoſa nobis ſunt, uitemus.* De *uo-*

*luntate beneplaciti* Dei, *& non de uoluntate conſilij ipſius loquor. Iuſtus eſt dominus, (ut inquit* Pſaltes) *& omnes uiæ ipſius ſunt ueritas.* Nulli porrò *philoſophi, ſed ne* Homerus *quidem, Deo imputandam eſſe cenſent malitiam aut miſeriam noſtrã, ſed unicè cogitandum nobis præcipiunt, ut pura mente, & ſumma innocentia uitæ noſtræ ipſum ſanctiſſimè colamus, quo quid magis conſentaneum ſacris oraculis & ueræ pietati dici poteſt?* Dæmoniorum *hæc non fuit, ſed conſcientiæ ipſorum doctrina, ut iuſtum* Deum, *& iniuſtos atq; impios,* Dei *inimicos eſſe crederent.* Non *in quo hallucinati ſunt, ſed de quibus rectè ſenſerint.* Ethnici *philoſophi commemorare lubet, ut qui putant ex diametro philoſophiam cum* Theologia *pugnare, receptui (ut dicitur) canant, & ſuæ inſcitiæ minus in iudicando permittant, nec, ut uulgò dicitur, ultra crepidam iudicent, & damnent quod non intelligunt.* Pio *& ſapienti uiro quò ſint omnia tanquam ad finem referenda* Ariſtotelis *ſcriptum reliquit libro ultimo* Ethicorum *ad* Eudemũ, *quando uidelicet definit perfectam hominis uirtutem* τῆ καλοκαγαθίᾳ; *qua nimirum ad uultum diuini numinis quiſpiam omnia referat, & ut plus externorum bonorum nõ requirat, quàm ſufficiat ei ad contemplationis ueri & pietatis ſtudium, quo coniungamur & ſimiles diuinis ac cœleſtib. mẽtibus fiamus.* Adſcribam Græca Ariſtotelis, *ne quis ineruditus fingi iſta à me arbitretur.* ἥτις οὖν αἵρεσις καὶ κτῆσις τῶν φύσει ἀγαθῶν ποιήσει τὴν τοῦ θεοῦ μάλιστα θεωρίαν, ἢ σώματος, ἢ χρημάτων ἢ φίλων, ἢ τῶν ἄλλων ἀγαθῶν, αὕτη ἀρίστη, καὶ οὗτος ὁ ὅρος κάλλιστος. εἴτις δὲ ἢ δι᾽ ἔνδειαν, ἢ δι᾽ ὑπερβολὴν κωλύει τὸν θεὸν θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν, αὕτη δὲ φαύλη. ἔχει δὲ τοῦτο, τῇ ψυχῇ, καὶ οὗτος τῆς ψυχῆς ὁ ὅρος ἄριστος, τὰ ἥκιστα αἰσθάνεσθαι, τοῦ ἄλλου μέρους τῆς ψυ-

χῆς, ἢ τοιοῦτον. Extrema parte libri quod ſcriptum eſt, nihil aliud eſt, quàm quod à Diuo Paulo præcipitur, ut carnis ſcilicet curam ne agamus. Vt autem philoſophi unicũ uerum & omnipotentem Deum eſſe ſcribunt, ſic unicè quoq; pieq; colendum illum à nobis eſſe præcipiunt. Huic totius uniuerſi gubernationem & regnum aſsignant, ut qui partim naturalibus cauſis, partim fortuna, & occaſione, omnia minima, & maxima adminiſtret, de quo abundè ſatis & copioſè ſcripſimus in Antiſimonio noſtro, Sectione prima, contra ridiculum ſophiſtam & philoſophaſtrũ diſputando, qui de prouidentia diuina nihil ſenſiſſe philoſophos, probare conatus fuit, ſingularem & eximiam inſcitiam ſuam prodens cum impudẽtia ſumma coniunctam. His conſentanea paßim Plato plurima ſcribit, in primis autem in extremo libri noni Πολιτειῶν. ubi rationem ueri principatus in homine explicat, & oſtendit ſoli ſapienti, & Deum piè colenti gubernacula Reipublicæ committenda eſſe, alioqui ueram inter ciues non conſiſtere poſſe ſocietatem & ſtabilem amicitiam. Præterea quid præclarius hoc & magis conſentaneum Theologiæ noſtræ dici potuit, quàm quod ſcribit Plato in Theæteto? Nobis illud propoſitum debere eſſe in uita, ut mala ſcilicet & uitia huius uitæ & ſeculi fugiamus & uitemus, ac pietate ueritatiſq; ſtudio ſimiles fiamus Deo? An non idem, Chriſtus ſeruator noſter in Euãgelio docet & præcipit? Imitatione Dei, malum inferni huius mundi effugimus, & negando fugiendoq; noſmetipſos, deo aſsimilari & amici ipſius fieri incipimus iuxta præceptum Dei monentis in Moſe, ut ſanctiſſimus, quemadmodum ipſe etiam ſit ſanctus. Διὸ καθάπερ Πλάτων φησὶ καὶ πειρᾶσθαι χρὴ ἐνθένδε ἐκεῖσε φεύγειν ὅτι τάχιστα. φυγὴ δὲ ὁμοίωσις θεῷ, κατὰ τὸ δυνατόν. ὁμοίωσις

δὲ δι-

*δὲ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως γενέσθαι.* Plura omitto, quibus omnibus manifeſtum eſt philoſophiam à Theologis non reſpuendam, ſed perdiſcendam magis, ne illotis, ut dicitur, manibus tractando Theologiam, id eſt, rudi & agreſti rerum omnium intelligentia, ex Theologia faciamus Matæologiam. Quoniam omnes Hæretici ineruditi in uera & ſolida philoſophia homines fuerunt, atque etiam nunc hodie ſunt qui nouos errores propter ineruditionem ſuam cōminiſcuntur. Quàm proinde piè quàm eleganter diuinum illud præceptum, Cognoſce teipſum, Cicero libro primo de legibus interpretatur, ut noſcens ſcilicet ſeipſum aliquis nihil prius aut antiquius ducat eſſe, quàm pietatem, uirtutem, & ueritatem, pauca Ciceronis hæc adſcribam: Nam quum animus cognitis perceptiſq; uirtutibus, à corporis obſequio imdulgentiaq; diſceſſerit, uoluptatemq; ſicut labem aliquam dedecoris oppreſſerit, omnemq; mortis & doloris timorem effugerit, ſocietatemq; carnis eiecerit, tum omnibus ſe natura coniunctum duxerit, cultumq; deorum & puram religionem ſuſceperit, & exacuerit illam, ut oculorū, ſic ingenij aciem ad bona deligenda & reijcienda contraria, quæ uirtus, ex prouidendo appellata eſt prudentia, quid eo dici aut cogitari poterit beatius? Idem de philoſophorum ſententia, quæ uera & pura ſit Religio, libro ſecundo de natura deorum his explanat uerbis: Cultus autem deorum eſt optimus, idemq; caſtiſsimus atq; ſanctiſsimus, pleniſsimusq; pietatis, ut eos ſemper pura, integra, incorrupta mente & uoce ueneremur. Non enim philoſophi ſolùm, uerum etiam Maiores noſtri, ſuperſtitionem à Religione ſeparauerunt. Eò ſcribuntur autem iſta à me & explicantur, non quòd Religio ipſorum integra & incorrupta fuerit, ſed quòd Gentes

*etiam ſine uerbo Dei, duce ratione, legem cultus diuini in pectoribus ſuis inſcriptum habuerint, quam tamen reipſa, & factis, præſtare nullo modo potuerint. Iuſtitiam autem teſtatur Diuus Paulus non in cognitione eſſe, ſed in factis, quandoquidem uera pietas ſit cultus diuini numinis, qui uoluntate, ſtudio, & factis præſtari ſolet, quod ipſum ſtudium,* θεραπείαν τῶ θεῶ *appellat* Ariſtoteles. Non reprehenditur à Diuo Paulo *ſcientia philoſophorum* (*ut* Theologaſtris *quibuſdam uidetur*) *ſed impietas uituperatur & contemptus, ac neglig ētia ueri cultus diuini.* Deus (inquit) *illis patefecit, in hoc ut ſint inexcuſabiles, propterea quod cùm Deum cognouerint, non ut Deum glorificauerunt, neq; grati fuerunt, ſed fruſtrati ſunt per cogitationes ſuas.* Quòd *igitur cognouerunt Deum, ut Deum, quòd legem & iuſtitiam & ueritatem & pietatem omnibus rebus humanis prætulerunt, id laudamus & ſuſpicimus in ipſis, cum* diuo Paulo. Sed quòd noſcentes iſta, *nihilominus præuaricati ſunt, & Deum non ut Deum coluerunt, id uituperamus & deteſtamur ut impium, & iuſto* Dei iudicio *uindicandum.* Lex cognita, *non obedientes legi, non iuſtificat, ſed condemnat.* Huic damnationi, quam quæſo expiationẽ ſeu redemptionem oppoſuerũt Ethnici quoq;, *ut concilia rent & propitium ſibi offenſum Deum facerent?* Vſi nimirum ſunt Ceremonijs *quibuſdã & luſtrationibus, quas* Græci appellant τελετὰς, nec non *ſacrificijs etiam quibuſdam, quibus ſibi remitti à Dijs peccata, & condonari culpas arbitrabantur, his, ſine dubio ab antiquiſsimis ſuæ originis patribus, tanquam per manus traditis inſtitutis, ut quæ tamen ratio uel cauſa eſſet talium ſacrificiorum poſteri ignorarent.* Iam uerò *litationes hæ ſacrificiorum cùm deſierint, ſacrificio filij Dei peracto, facilè quòd uetera ſacri-*

*crificia tanquam umbra, & ſimulachrū quoddam fuerint huius ueri, perfecti, ac tremendi ſacrificij, declarantibus id etiam diuinitus traditis ſcripturis, deprehendi & cognoſci à nobis facilimè poterit.* Opinione innocentiæ corā Deo, *nemo ſeipſum decipiat.* Naſcimur .n. *obnoxij peccatis, & filij, ut* D. Paulus *teſtatur, iræ* Dei *ſumus.* Hanc ut pro tempore expiarent, *cæſis pecoribus legibus diuinis, & humanis ſancitum fuit ante aduentum* Redemptoris Chriſti, *pro nocentibus occidebantur non nocentia & nequaquā peccatis obnoxia animalia.* Quoniā ut Poeta inquit, Quid meruêre Boues, *animal ſine fraude doloq;?* Sacrificia *ergo documēto fuerunt, morte, & fuſo ſanguine, expianda peccata eſſe hominis.* Quoniam ut Paulus inquit. *Stipendiū peccati mors eſt,* Anima *autem ipſa peccat, quamobrē morte animæ expiari peccata conſentaneum eſt, quàm nihil aliud eſſe conſtat: quàm priuationem gratiæ* Dei, *quæ unica & ſola cauſa eſt ſalutis & uitæ animæ noſtræ.* Non *ſunt multi (ut uiſum fuit incredulis* Gentibus) λύσιοι θεοί, *ſic .n. appellat eos* Plato, *qui ne offendantur peccatis noſtris placandi ſunt, ſed unus eſt, qui placatur & qui offenditur, & qui remittit peccata, qui* Deus *unus ſemetipſum ſacrarum literarum monumētis manifeſtauit ab initio conditi mundi.* Mortiferum *fuit peccatū* Adami *propter* ἀπιστίαν, Deo *ſpreto & relicto,* Satanam *ſecutus, cui ſe fidem habēdo, manciparat.* Expiandū *morte corporis & animæ ſcelus cōmiſerat* Adamus. Redimere *autem pœnitētia culpam nō potuit, præmonitus à* Deo *ne guſtaret.* Contemptū *hunc inquam et* ἀπιστίαν *uindicari morte oportuit animæ, & corporis ſc. utraq; tamen miſeratione diuina, reparabilis & permutabilis uita fuit, offenſo* Deo *placato per mortem & obedientiā ſanctiſſimi & innocentiſſimi Chri-*

Plato lib. 9. πολιτικῶν.

*ſti, filij Dei. Corporeis illecebris, ſuperbia uitæ ſcilicet, & concupiſcentia oculorũ, uitam ſuam morti obnoxiam fecerat primus homo, propagata in omnem poſteritatẽ miſeria hac, quam ſolui & expiari morte Chriſti oportuit, qui ſua aſſumpta humanitate nos in integrum reſtitueret, & uenditos ac captiuos Satanæ, redimeret merito & pretio obedientiæ ſuæ, quam in carne aſſumpta præſtitit Deo Patri ſuo. Deo porrò quid miſericordius, quid clementius, at filio Dei, quid obedientius, quid humani generis amantius, ut qui ſemetipſum pro nobis in mortem tradiderit, non tam creator eſſentiæ, quàm recreator & reparator ſalutis noſtræ, per quem enim nos creauit Deus, per eundem aſſumpta humanitate, recreauit etiam redimẽdo, & amiſſam ſalutem culpa protoplaſti, reſtituẽdo. Aliena noxa facti ſumus obnoxij, alterius etiam merito uiciſſim reſtituti ſumus, & reconciliatus nobis eſt Deus, propter carnem peccato obnoxiam mors dominatur nobis, ſed propter gratiam & remiſſionem peccatorum uitæ reſtituimur, & in carne, ſed immortali & illuſtri reſurgemus denuò. Contraria enim contrarijs permutari oportet. Noſter autem eſt Chriſtus, noſtra ſunt merita ipſius, ſiquidem fide, & baptiſmo in ipſo renaſcimur, et dominetur in nobis Spiritus eius affectus carnis mortificans per renouationẽ interni hominis. Proinde ut ἀπιστίᾳ regnũ cœleſte, & uitam æternã amiſimus, ſic fide in Chriſtũ ſeruatorem eandem recuperamus, quæ tamen omnino neceſſe eſt ut cũ charitate ſit coniuncta, nõ enim uera & Chriſtiana eſt, ſi charitate deſtituatur, fides, quam ut fictã non conſequi uitã æternam, D. Paulus etiam teſtatur. In reſurrectione autẽ æternus homo ex anima, & corpore conſtitutus, nõ naturæ, ſed Dei Creatoris plasma erit, non multũ differens ab Angelis, ut qui ſimplici mente*

appre-

*apprehenſurus ſit ſeipſo intelligendo, incorporeas & angelicas ſubſtantias, & ipſum* Deum, *& quæ mens etiam perfecta, perfectura ſit animam ipſam, ut anima quoq; cœleſtibus donis exornet corpus ſuum, conſors immortalitatis, & æternæ in* Deo *uitæ particeps.* Hactenus *quæ ſcripſimus de argumentis immortalitatis humanæ animæ, non modo cum his quæ diſputantur in philoſophia, ſed etiam cum his quæ credenda nobis proponuntur in* Theologia, *conſentanea eſſe arbitror, quæ, ut* Pſeudotheologi, *& logodædali irrideant, tamen à ſolida eruditione præditis, ac ſapientibus uiris non modo non contemnuntur, ſed cupidiſſimè etiam, propter perfectionem* Scientiæ, *perdiſcuntur.* Animam *autem humanam non reſpectu* Naturæ, *ſed* Creatoris Dei πλαςόν *quiddam dicendum, ex his quæ diſputata ſunt hactenus, manifeſtum eſt.*

Finis Libri Tertij, de Plaſtica Facultate Seminis.

# DE CALIDO ET HVMIDO NATIVIS ET INSITIS IN corpore Animatorum diſputatio, Iacobi Schegkij Schorndorffenſis.

*Principale & præcipuum uitæ & animæ uegetatricis inſtrumentum eſſe humidum & calidum à natura inſitum* Medici & *Philoſophi ferè uno ore confitentur omnes ſed quodnam illud, & quale ſit, aut non declarant, aut non conſentientes, quisq; quod ſibi uidetur, defendunt.* Quibusdam enim cœleſti ſimilis calor hic uidetur eſſe, non nullis concretum quiddam eſſe ex elementis. Hunc in prima ætate Hippocrates cenſet qualitatis perfectione uberiorem eſſe, cui Lycus Sophiſta contradicens (quem libello quodam grauiter confutauit Galenus) in adoleſcentibus magis abundare defendit, Hippocratem ſcilicet erroris coarguens, non animaduertendo ſeipſum Caloris uocabuli homonymia deceptum fuiſſe, quod ipſum ei Galenus, ut Sophiſtæ, exprobrat. Quid nobis uideatur, & quid in primis cõſentaneum ſit ueritati, explicare in præſentia aggrediemur, ſtudioſos ueri admonentes, ne alicui fidem habeant de rebus controuerſiam habentibus, ſi neceſſarijs argumentis & demonſtratione non probet: quod defendendum ſuſcepit aliquis. A Definitione autem eius, de quo aliquid demonſtrandum, ordiri debemus, ut certius reliqua deinde cognoſcantur. Caloris uim, & qualitatem ſic definit Ariſtoteles, ut ſit, Quæ concretionem faciat τῶν ὁμοφύλων, id eſt, multorum hac natura præditorum, ut ex his res una & ſubſtantia naturalis coaleſcere queat.

Ariſtoteles lib. 3. de Cœlo.

A Phy-

A Phyſicis, Calori, opificium, ſeu δημιούργημα adſcribitur, ut mixtis elementis & concretis, una quædam ſubſtantia naturalis eo ut inſtrumento conſtituatur. De cætero autem Calor, ſeu Ignis, diuiditur in eum, qui in ſua propria materia ineſſe dicitur, quæ nimirum eſt, ut perempto & abolito calore ſimul etiam ipſius ſubſtantiam, & ſubiectum neceſſe ſit aboleri. At calor in aliena materia dicitur ineſſe, ſi eo extincto, ſubſtantia ſcilicet & ſubiectum ipſius non corrumpitur. Quin etiam calidum ipſum diuiduum eſt, in actu calidum, & potentia calidum. Vt Flamma, aut candens ferrum, actu calidum, eſt, ſed Piper, aut Euphorbium, potentia calidum dicitur, quamuis actu ſint frigida. Præterea unum dicitur calidius alio multifariam, quorum comparationis modorum mentionem facit Ariſtoteles libro ſecundo, de partibus Animalium. Calor, ut φύσει inhærens, definitur officio & fine naturali nempe, ut concretione ὁμοφύλων quorundam conſtituat ſubſtantiam naturalem, quem, tanquam cauſam continentem, non ineptè appellat quiſpiam Ignem artificioſum, utpote συγκριτικὸν τῶν ὁμοφύλων, ut ſine quo nulla res naturalis mixta generetur, & quo diſſoluto tanquam uinculo, rem diſſolui in ſua elementa neceſſe ſit. In aliena autem materia ſuccenſus ignis, non ad conſtituendas, ſed ad diſſoluendas res naturales efficax eſt, qua ratione Elementi non poßit habere naturam Ignis, & calor, cum conſtitutione & non corruptione definiantur Elementa. Calor, quo conſtituuntur res Naturales, ἔμφυτος eſt, & non ſenſu tactus poteſt in omnibus percipi, ut in Piſcibus, & ſtirpibus, tactu nullus percipitur, in homine & quadrupedibus ſenſum noſtrum calor afficit, ſiquidem in his calidißimum Cor exiſtit. Vt autem ſenſilis calor natura-

*lis, temperat* ὁμόφυλα, *ut eorum concremento ſeu* συγκρίσει *conſtituatur una quædam ſubſtantia naturalis, ita quoque non ſenſili calore,* τὰ ὁμόφυλα *coaleſcunt, quorum naturalis eſt interitus, ſi perempto illo calore putredine, in ſua elementa res diſſoluitur.* Nam *ſi* ἔμφυτος *calor uinculum eſt compoſitorum, neceſſe eſt ut ſi extinctus ſit calor hic naturali modo, id eſt, putredine, concrementum illud conſtituentium elementorum diſſolui rurſus.* Nonnunquam *autem frigus externum prohibet, ne calor ille* σύμφυτος *inſenſilis corrumpatur, ut ſi frigus prohibet, ne Caro putreſcat, cùm* Piſcium *quoque* ἔμφυτος *calor eo foueatur, externo enim calore facilimè interficiuntur* Piſces. De potentia *&* actu *calidis nihil in præſentia dicam, ut quibus caloris* ποιητικὰ αἴτια *diſtinguantur, & magis ad* Medicinam *quàm ad* φυσιολογίαν *pertineant, & calor formaliter his etiam non definiatur, quoad eo, ut elemento, res conſtituitur naturalis.* Naturali *corruptione res ſunt diſſolubiles, ſi perimatur ipſorum* ἔμφυτος *aut* σύμφυτος *calor quibus detrimenti nihil accidit, ſi ſaluum & integrum ipſum eſſe contingat.*

Deinceps *conſiderandum eſt, quænam* ἐμφύτου *caloris huius ſit uernacula &* οἰκεῖα ὕλη, *quandoquidē calor omnis ſubiecto ſuo inſit uel* φύσει, *uel* πάθει. Si τῷ πάθει *inſit, abolito calore non etiam ſubiectum ipſius corrumpi eſt neceſſe, ut ſi aqua, calida eſſe deſinat, non etiam aqua deſinit eſſe.* At *uerò ſi* φύσει *inſit calor, nempe ſi fuerit* ἔμφυτος, *perempto eo, ſimul etiam ſubiecti eſſentiam neceſſe eſt perimi, propter coniugium ſcilicet quod habet calor iſte cū natura ipſa ſubiecti, quæ natura eſt pars ſubſtantiæ ſubiecti.* Naturalis *autem hic calor dicitur, quod uidelicet multitudinem elementorū ſic miſcet & temperat ut informari*

una qua-

*una quadam ſpecie naturæ poßit, & hoc eſt, quod Ariſtoteles appellat, συγγένιον καὶ σύνοιζον τὰ ὁμόφυλα, eſtq; calor hic ex inſtrumẽtalibus cauſis efficientis cauſæ, qua habilitas ultimæ materiæ apparatur, & à forma ſubſtantiali, quam in ſe recipit, inſeparabilis exiſtit.* Huic materiæ ultimæ per ſe & primò ineſt forma ſubſtantialis, & hac perempta ſimul etiam materia ultima perimitur, nam prima materia extra ſortem eſt omnis mutationis. ut docet Ariſto: in Phyſicis. Quo manifeſtũ eſt calidum illud συγγένιον, & σύνοιζον, conſubſtantiale quoddam, & propriũ πάθος eſſe, ex prima materia ultimã & οἰκείαν ὕλην conſtituẽs, quo priuatio etiã ſit & δύναμις definienda, propter quam formæ definitæ ſit capax materia prima. Εμφυτος autem calor qualitas cùm ſit, in ſuo proprio ſubiecto ipſum neceſſe eſt ineſſe, quod ipſum nimirũ eſt, τῶν ὁμοφύλων cauſa concrementi, quoad ut ἐσχάτη ſeu οἰκεία ὕλη formæ ſubſtantiali ſubijcitur. Antequã illud calidum ſit perfectũ, in materia ultima, non inerit ei forma, cauſa priuationis ſubiectũ exiſtens naſcentis formæ. Simul ergo cũ materia ultima forma naſcitur, & ſimul cum ea interit, ſic tamẽ, ut calor ἔμφυτος ſit propria qualitas ultimæ materiæ, quæ οἰκείως ſubijcitur naſcenti formæ. Sic habente materia, permutatur priuatio, ſua oppoſita forma, quæ accidens non ſit, & quæ φύσει etiam ſubiecto ineſſe dicatur, & qua abolita, prior ſubſtãtia, ſeu ſubiectum prius deſinat eſſe & corrumpatur. Vt ſi corrumpatur calidum ἔμφυτον hominis, aut Canis, aut Quercus, ſimul forma horum, & materia ſecunda ſeu ultima corrumpitur, & prior ſubſtantia deſinit eſſe. Sed calor κατὰ πάθος: ſi permutetur non priuatione, ſed contrario frigore, quod ſecundum naturã ſubiecto inſit, perempto ſcilicet calore illo, non etiam neceſſe eſt ſubiecti ſub-

ὕλη πρώτη eſt communis, ſed ἐσχάτη eſt οἰκεία cuiuſq; ſpeciei.

*ſtantiam corrumpi, ut calore aquæ extincto, ob id non etiā aqua deſinet eſſe. Differentia hæc eſt, ſi* φύσει *aut ſi* κατὰ πάθος *ſubiectis ineſſe calores dicantur.* At dixerit forſan quiſpiam, Nonne frigus, reſpectu aquæ, ἔμφυτος *qualitas eſt quædam?* Reſpondemus, Nonnullas *qualitates, potentiæ ſeu* δυνάμεως *ratione in ſubiectis ſuis ineſſe* ἐμφύτως, *quo ad uidelicet in ipſis eſt potentia ut eam amiſſam recuperare poßint, ut ſi frigus aquæ dicimus* φύσει *ineſſe, quia calefacta poßit denuò ſeipſa refrigerari.* Ratione autem actus, *frigus, qualitas quædam & accidens eſt aquæ, permutabile contrario.* Potentia autem *frigoris, aquæ ineſt ſimul cū forma aquæ, cauſa priuationis eſſentialis materiæ, qua potentia obolita ſubſtantia aquæ nequit ſubſiſtere, quum ſit ei conſubſtantialis potentia hæc* ἔμφυτος. Dicitur autem A*quæ frigus* ἔμφυτον, *non quia ex neceßitate ſit actu frigida, ſed quia* φύσις *in ipſa ſit, ut à ſeipſa poßit frigus habere, quamuis actu ſit calida.* Simili modo *calor etiam quidam* φύσει *ineſt, & aliâs,* κατὰ πάθος, *aliâs autem* φύσει. Vt κατὰ πάθος, Carboni, *aut ferro, aut ſanguini, aut morbidus calor in* Animali, *qui ſanitatis complexionali calore eſt permutabilis, aut frigido morbo.* ἔμφυτος *autem calor eſt, qui propter priuationem formæ compoſitam, materiæ ineſt, & ſalua atque incolumi ſubſtantia nequit permutari contraria qualitate, ut exhalatio, dicitur calida, nam ſi calore priuetur, deſinit eſſe exhalatio.* Et *ignis ſi actu caloris ſui priuetur, deſinit eſſe ignis. Actuoſißimus enim cum ſit contrarij patientiam omnino reſpuit.* Nam *ignis ut actu, ita quoque* δυνάμει *frigidus eſſe nequit integra & incolumi ipſius eſſentia.* In Animatis quoque & Animalibus ἔμφυτον θερμόν, *non eſt per-*

*muta-*

*mutabile, incolumi exiſtente ſubſtantia contrario frigore. licet* ἐπίκτητον *ſeu complexionale calidum ſit permutabile, ut ſubſtantia non corrumpatur. At ſi* ἔμφυτον *calidum aboleatur uel in toto, uel in parte corporis, ſubſtantiam quoq; ipſam aboleri, & uitam cum morte permutari eſt neceſſe, propterea quod actus huius caloris ſit conſubſtantialis ſubiecto, & non quòd potentia huius actus ſit præditum, quo potentia tamē præditum eſt corpus animatum ut permutabile ſit ex morbo, in ſanitatem, quæ nimirum ſunt* ἐπίκτητοι *& non conſubſtantiales caloris qualitates, de quib. in præſentia admonendum eſſe duxi. Quicquid ergo* ἔμφυτον *& conſubſtantiale eſt, permutari contrario nequit. Sed quæ* φύσει *aliâs inſunt, permutari his quæ* παρὰ φύσιν *inſunt, nempe contrarijs ſuis poſſunt. Primum itaq; illud eſt calidum, & principale, quod* ἔμφυτον *& conſubſtantiale, &* ἀρχέγονον, *& radicale, & balſamus uitæ à paracelſicis appellatur. Alterum eſt, quod* φύσει *dicitur ineſſe, ſeu* κατὰ φύσιν, *cuius qualitas augeri poteſt, cū principalis huius, qualitas augeri nequeat, de quo ſuo loco diſſeremus. Quod autem* κατὰ φύσιν *qui ineſt calor, poſſit augeri teſtatur* Aphoriſmo illo Hippo: *quando dicit,* Ventres Hyeme calidiores eſſe. *Tertius calor, eſt qui* παρὰ φύσιν *corporib. ineſt, ut morbidus, aut febrilis. Secundus & Tertius calor, ratione ſanitatis &* Morbi, *ſunt inter ſe oppoſiti. Conſubſtantiali & primo,* μαρασμώδης *opponitur calor, ita tamen ut detrimenta refici nequeant aut reparari calidi & humidi natiui, quæ tabificus morb. exhauſerit, quod ipſum in alijs morbis haud accidit, in quibus integræ uires denuo recuperantur. Nulla enim alia* φύσει, τὸ ἀρχέγονον *poteſt reſtitui cùm ſit primum calidum. Et alijs quidem morbis non periclitatur de uita animal, calido natiuo*

non extincto, aut non conſumpta ipſius humiditate, morbo hectico. Diſtinguendum deinceps Calidum illud eſt gradibus, & partibus corporis quibuſdã. Gradus ſunt, quoad in uiuaciorib. perfectius eſt, quàm in minus uiuacibus. Partes ὁμοιομερεῖς corporis, ſunt quædam ſpermaticæ, quæ principaliter ſolidæ partes ſeu στερεὰ μόρια ſecundum Galenum, appellantur. Aliæ ſunt rubeæ & σαρκώδεις partes dicuntur. Quæritur, in utris præcipuè ἀρχήγονον calidum & humidum illud inſit, priores γενέσει & φύσει partes ſpermaticas carneis eſſe manifeſtum eſt cum carnea quodãmodo παρεγχύματα ſint ſpermaticarum, ideſt, è ſpermate generatarum partium. Humor calore natiuo elaboratiſſimus & perfectiſſimus eſt, ſpermaticus, cuius materia ſit ſanguis, quem φύσει frigidum eſſe conſtat, quoniam, ut aqua, frigore concreſcit, ita quoq; ſanguis, quandoquidem ἐπίκτητος ipſius calor & à uenis ac corde ipſi communicatus & nequaq; ἔμφυτος exiſtit. Nam extra uenas in grumum concreſcit. Neq; uerò ſi tactu calidior ſit ſanguis, aut ſanguineæ partes, ob id ſanguis φύσει calidior erit ſpermaticis partibus. ut feruens aqua, non ſi calidior tactu & efficatia uſtionis ſit, ob id φύσει quoq; calidior erit flamma. Multis autem modis calidius aut frigidius aliquid dici, monet Ariſto. libro 2. de partib. Animal. de quo ſupra etiam me dixiſſe memini. Quòd autem uerè & ſimpliciter comparabilia illa non ſint, quorum τὰ πρῶτα δεκτικὰ ſpecie differant, docet Ariſto. libro 7. Phyſicorum. è partibus autem è ſpermatico humore concretis, cor ex eodem multo cum ſanguine admixto generatum fibroſum ualidumque, humidiſſimum calidiſſimum eſt utriſq; ἀρχεγόνοις qualitatibus, à quo etiam uaſa ſanguinem per uniuerſum corpus deferentia enaſcuntur, ut caua uena, è dextro ipſius cauo

*ſeu uentriculo , & arteria magna ,è ſiniſtro , quib. poſt cordis ſubſtantiam , ἐμφύτως nihil eſt calidius & humidius, quibus etiam hoc nomine adnumeratur uentriculus, quem propter concoctionem alimentorum , ἰσχυρότατον χρῆμα* appellat Hippo. *Organa hæc offitioſa uegetatricis animæ, ſunt è ſpermatico humore generata.* Ex eodem *ſunt etiam generata ,ut cerebrum & nerui,quib. ad ſenſum & motũ præſtandum utitur facultas ſentientis animæ.* His *reliquæ partes* σαρκώδεις *exiſtentes adminiculo ſunt ut energeias ſuas exercere queant , non tamen his principatus eſt adſcribendus.* Paſſim *Galenus cor prædicat eſſe quaſi locum & ἑστίαν ἐμφύτου θερμοῦ, cuius influentia & communicatione omnibus opus eſt reliquis partibus, ut ſol enim, ſuo calore uegetat omnia.*

V*aldè autem mihi uidetur* Galenus , & Veſalius *hallucinati (quorum errorem confutaui in libro de* Sanguificatione) *qui cenſent uaſa, quib. continetur ſanguis, quia ſint alba & membranea , calidiora illa non eſſe ſanguine aut caniformib. partibus, quæ conſtat quòd φύσει ſint calidiores, propterea quòd ſint generatæ è ſpermate, quod ipſum calidius ſit quam ſanguineus humor, & quòd contentus his ſanguis , ſit calore incolumis, profuſus autem concreſcat frigore in grumum.* Et *quòd ſperma ſit φύσει calidus humor ratione materiæ ſuæ, & non frigidus, pro eo ut ſanguineus eſt humor, hoc ſigno probat* Ariſto. *lib. 2. de generatio: animal. quia ſcilicet frigore non concreſcat aut ſolidetur.* Sic Ariſto. *ſcribit.* Πήγνυται τὰ ὑδατώδη τὸ δὲ σπέρμα οὐ πήγνυται τιθέμενον ἐν τοῖς πάγοις ὑπαίθριον, ἀλλ᾽ ὑγραίνεται, ὡς ὑπὸ τοῦ ἐναντίου παχυνθέν. Semen autẽ quòd ſit calidius multo quàm ſit ſanguis eo cognoſcitur quòd maſculi *ſunt calidiores fœminis, & quòd caſtratis totum corpus*

*effœminatur calorq; natiuus eſt remißior. Fontem itaq; & quaſi radicem caloris natiui Galenus ſpermatico & non ſanguineo humori adſcribit in libro quem ſcripſit contra Lycum Sophiſtam, negantem ſed falsò ſecundum Hippocratis ſententiã) in prima ætate plus ineſſe caloris natiui, quã in adoleſcentia ſit aut iuuentute. Itaq; ἀρχήγονος & ἔμφυτος ille calor, non cœleſtis cuiuſdam eſt eſſentiæ (ut quibuſdam uidetur) ſed generatum quiddam eſt συγκρίσει, ſeu concretione Elementorum, cui concremento talis calor, conſubſtantialis eſt, & non tamen ſecundum naturam ineſt, ut qualitas quædam, & non quatenus terra, uel aqua participat calore (quibus calor omnis, κατὰ πάθος ineſſe conſueuit) ſed ei ineſt cõcremento, quatenus Aerea quadam ſubſtantia participat, quam conſtat φύσει calidum & humidum eſſe. Et Galenus etiam cum Ariſtotele teſtatur humorem ſpermaticum ἀερῶδες quoddam corpus eſſe, ut non dubium ſit caloris huius τό πρῶτον δεκτικόν eſſe humidum aëreum, & non aqueum, quo calor is ἔμφυτος foueatur. Nam & is ἔμφυτος calor (ut aliâs omnium mixtorum eſt) in aliena materia ut cõcremento elementorũ ineſt & fomẽtum deſiderat, ſeu ὑπέκκαυμα, non ut is, qui proprius eſt ignei, aut aerei elemẽti, quibus aliquo fomento nõ eſt opus, ſed ſua propria natura calent, ſi nõ impediãtur extrinſecus. Ergo, ἔμφυτος calor, aëreus eſt, ſed fomento quodam indigens, cùm non ſit ſimpliciter aër, fouetur autem, ut aliena materia, aqueo & terreo, ut Ignis, in aliena materia, fouetur aëreo preſertim, & terreo elementis. Neutrius calor fouetur ſine humido aëreo, quo deficiente, calores etiam ipſi extinguuntur, & reliquiæ quidem aërei humidi, ſunt terrea ſiccitate arida corpora, ὑπολείμματα autem caloris ignei, ſunt in cineres exuſta terrea corpora, quibus foueri ignem eſt impoßibile.*

Sed

*Sed quæritur, qui fiat ut fomentis perpetuis ſuppetentibus, in perpetuum durabilis ſit ignis in aliena materia incenſus, ſed* Natiuo calido, *etiam ſi ὑπέγναυμα conueniens nunquam deſit, nihilominus per ætatem ſemper decreſcens tandem calor extinguatur, ſiquidem uitam naturali morte permutari contingat?* Inſtrumentum Animæ *uegetatricis conſtat eſſe calidum ἔμφυτον, huius etiam ui & efficatia alimenta conficit* Anima, *& nutrit uniuerſum corpus.* Quòd *autem humidum natiuum ſpermatici humoris in ſiccius & ſolidius degeneret, ipſa generatione Animalis manifeſtum eſt, quando uirtute plaſtica formantur prima ſolida corpora, quæ nimirum ſpermatica organa ſupra appellauimus, quæq; ſanguineis calidiora eſſe oſtendimus.* Solidari *autem hoc modo & ſiccari neceſſe eſt ſpermati, alioqui organa hæc formari ex ipſo non poſſent ad Animalis generationē neceſſaria.* Et *hæc eſt prima cauſa, authore* Galeno *in libro aduerſus* Lycum, *reſiccationis humidi natiui quæ finiente hac cauſa deſcribitur.* Formatis *poſterius his organis, quòd eorundem durabilis non eſt humiditas, neceſſariam habet cauſam, ut quæ non formæ ipſi, aut finienti cauſæ, ſed materiæ ſit tranſcribenda neceſſitati, quæ ut intelligatur, ratio demonſtratione quadam eſt deuincienda. Si uita immortalis non poteſt eſſe, non poterit etiam humidum natiuum calido natiuo perpetuo ſuffici, aut qualitate & quantitate eadē durabile eſſe. Alioqui uanus ille* Philoſophaſter *medicus, cuius mentionem facit* Galenus *in libro de* Maraſmo, *reprehendendus nō eſſet, quando nō ſolū putauit, ſed etiam promiſit ſe poſſe immortalē alicuius uitam efficere. Diximus ἔμφυτον calorem eſſe conſubſtantialem, & præterea cum aliena materia concretum eſſe ut refectione, reparatione, & fomento indigeat, ut ipſum ſe-*

*ſe conſeruet.* Neq; *illud neſcitur, talis caloris pabulum eſſe natiuam humiditatem, quæ eſt aerea, quam ex aquea humiditate & terrea ſiccitate neceſſe ſit reparari.* Verùm *aereum corpus in aliena materia ſoliditatem nullam habens, calore ſuo perpetuò euaneſcit & exhalat, pro eo ut ignis etiam perpetuo fluxu ſuo ſemper euaneſcit, reparando nihilominus ſemetipſum, dum ſufficit ſemper inflammabilis materia. Hæc ſi ſemper ſufficiatur, nunquam reſtinguetur ignis, quia uidelicet propriæ materiæ ignis nihil accidit ut non tota ſit in poteſtate ignis, ut inter agens & patiens ſit idem perpetuus actus, & non aliqua* δυνάμει ἀντιφάσεως *interrumpatur ipſius energeia, quoniam ignis non defatigatur conſumendo ſuam materiam, cùm à materia ſua ſcilicet nihil patiatur. Ignis autem in aliena materia, aliâs ſuæ materiæ* φύσει *ineſt, ut exhalationi, aliâs* κατὰ πάθος *ineſt, ut Carboni.* Verum *ut ſuppetat calido natiuo* ὑπέκκαυμα *perpetuò, nihilominus ipſum non poſſe ſemper durare, & animal mortalitati eſſe obnoxium, hac ratione poterit demonſtrari. Calidum illud, quamuis ſit efficax ad alterandum, ad nutriendum, aſsimilando ſcilicet nutrimentum aptum nutriendis corporibus, nihilominus ipſum afficitur, & uiciſsim patitur aliquid à ſua materia, & præterea depaſcit & conſumit perpetuò ſuam propriam humiditatem, ut ignis, ſua propria exhalatione perpetuo quaſi fluxu, ſemper & euaneſcit & renaſcitur, nihil tamen patiens à ſua materia ſuppeditante ei* ὑπέκκαυμα. *Humidum autem & calidum natiuum præcipuè eſt in partibus è ſpermatis ſubſtantia generatis, quas partes, &* στερεά, *&* πρῶτα μόρια *Animalis Galenus paſsim appellat. Eiuſdem principatus eſt in ſubſtantiæ cordis, quod ipſum Galenus* ἑστίαν τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ *appellat, ſpermatico hu-*

*more, & calido admodum ſanguine concretum. Solida ipſius eſt & fibroſa ſubſtantia irrigatione quaſi multi ſanguinis indigens, ad prohibendam ſiccitatem, quæ poſſet alioqui ocyus tabeſcere: propter ſummum ſuum calorem, & perpetuum ipſius motum atq; pulſum. Huius principatus ſignum eſt, quòd perpeſſo corde* Hecticam *dyſcraſiam, ut ſi humor ipſius natiuus aut febre* Hectica *conſumitur, aut calor natiuus frigore ſic debilitatur, ut præter ætatis curſum ante tempus conſeneſcat corpus & tale conficiatur.* Hoc *ſigno liquet, principalem eſſe* ἔμφυτον κρᾶσιν *in corde, tametſi ſua nihilominus cuiq; inſit* ὁμοιομερεῖ *parti temperies humidi & calidi* ἐμφύτε *propria & peculiaris, ut ſua uenoſo generi, uentriculo, neruis, cerebro, membranis, oßibus, cuti, primum ſcilicet cuiuſq; nutritionis inſtrumentum exiſtens, ſed non ſine influentia caloris, quam cor ſuis arterijs per uniuerſum corpus diffundit.* In *plæriſq; & præcipuis partibus* ὁμοιομερέσι Galenus *lib.*10. *Methodi curandi, duas ſubſtantias ineſſe ſcribit, harum unã appellat, fibroſam, alteram uerò carnoſam.* Carnoſam *partem, quaſi attextam adnaſci fibroſæ ſubſtantiæ, quæ primo generetur in formatione fœtus, & ſimilitudinem habeat ſtaminis, reſpectu carnoſæ partis, ut ſubtegminis.* Conſentaneum *illud eſt, ei quod ſcribit* Hippocrates *plaſtica facultate primò formari è ſpermate uerè ſolidas particulas, ſeu* ὄντως στερεὰ μόρια, *ſub ſpecie craſſæ & fibroſæ cuiuſdam ſubſtantiæ, quas ipſe* ἰνώδεας *appellat.* Sic *enim ſcribit in libro de* Natura *pueri, ſeptimo die poſt conceptum, quod exciderit* κύημα *ex utero muliebri rotunda figura, & rubēte forma fuiſſe præditum,* ἐν δὲ τῷ ὑμένι *(inquit)* ἐφαίνοντο ἐνεοῦσαι ἶνες λευκαὶ καὶ παχεῖαι εἰλημμέναι ξὺν ἰχῶρι παχεῖ καὶ ἐρυθρῷ. His *fibroſis, tanquam ſtamini, carnoſa*

*ſubſtantia ut ſubtegmen attexitur, quarum partium diſcrimen Galenus etiam his uerbis libro 11. Methodi curandi deſcribit: quorum ſententiam magis quàm uerba ipſa commemorare & explicare in preſentia eſt uiſum. Solidas ſimilares partes diſtribuit in fibroſas, quas appellat ἰνώδεις, & membraneas, quas ὑμενώδεις, & carniformes, quas σαρκώδεις nominat. Ratione materiæ differunt carnes. Nam muſculorum carnes generantur ex ſanguine, & his ferè ſolis uulgò carnis appellatio & nomen accommodatur. è ſpermatica autem materia generatis, ut fibroſis, quales ſunt uenæ, & arteriæ, & uentriculus, & inteſtina, & uterus, & nerui, qui ferè ſimpliciter ſunt nihil aliud quam fibroſa quædam corpora. Adnaſcuntur autem cuiq; ſuæ carnes è ſpermatica materia, naturis diſcrepantes, ut ipſæ etiam fibræ naturis inter ſe differunt. Naturis autem differre, ut Ventriculum, & Venoſum genus, uel cœco, ut dicitur, appareat, cum diſsimiles etiam habeant operationes, & energeias. Harum partium complementum carnoſum uulgus neq; etiam pro carnibus numerat, quod tamen ipſum diſcrimen medicis nõ ignotum eſſe debet. E ſpermatica materia generantur membranea, quæ tenuitate & ſpiſsitudine diſtinguuntur, ut cutis à peritoneo, quæ fibris deſtituuntur. De cartilagineis, & oſsibus ipſis quæ & ipſa generantur ſpermatica materia, in præſentia nihil dico, quia non eſt neceſſe. carnoſarum porrò partium diſcrimen illud eſt, quòd ex ſanguine generatæ muſculorum carnes, abolitæ, ut per vulnera aut hulcera, renaſci poſſunt, ac in integrum reſtitui. Sed ſubſtantiæ, è ſpermatica materia generatæ, deperditæ, aut diſciſſæ, renaſci aut conſolidari nequeunt, iuxta Aphor. 18. & 19. ſectionis ſextæ. Quæ cauſa ſit, Galenus in Methodo curandi explanat, cui explicandæ*

iam

iam ſuperſedebimus. Sunt autem, ut diximus, ſpermaticorum etiam partium fibroſarum carnes quædam, quarum detrimenta carnium reſarciri poſſunt, fibroſarum autem detrimenta irreparabilia ſunt. Detrimentum autem illud eſt, amiſſa natiua humiditas, quæ duplex eſt, una, carnoſæ ſubſtantiæ, altera, fibroſæ. Huius ἔμφυτος & ἀρχέγονος eſt, illius autem principalis non eſt & ἀρχέγονος humiditas, cùm detrimentum ipſius per ἔμφυτον humidum denuò reparari poßit partium fibroſarum: ſed fibroſarũ & ſpermaticarum ἔμφυτον humidum nutriendo non poßit reſtitui. Declarant id tanquam τεκμήριον quoddam, febres μαρασμώδεις, & συντηκτικαί, quibus tabida macies corpori conciliatur, & irreparabilis ſenioq; ſimilis ſiccitas humiditate ἐμφύτῳ permutatur. Cor, eſſe quaſi fontem & ſcaturiginem natiui caloris, & humidi, ſupra fuit demonſtratum, & iam oſtenſum eſt, in partium ſpermaticarum fibroſis & membraneis ſubſtantijs irreparabile detrimentum eſſe Natiuæ humiditatis, aut caloris inſiti. Tabeſcunt enim corpora noſtra, aut hectica febri conſumpta humiditate, aut natiuo calore refrigerato, ut fit in affectu, quem ſolent appellare, ſenectutem ante tempus. Nonnunquam corde non affecto, refrigeratis neruoſis, membraneis, & uenoſo genere alicuius membri, ipſum, ſaluis & integris cæteris, conficitur tabe & ἀτροφίᾳ membrum, quæ tabes incurabilis erit ſi calor natiuus partium modo dictarũ uehementer ſit debilitatus. His ad hunc modum determinatis, ſequitur, fibroſis partibus cordis, ſua humiditate aut calore innatis exiſtentibus ſaluis & integris, de tabe non periclitaturum uniuerſum corpus. At ſi cor hectica febre laborans, ſiccetur, aut eiuſdem calor inſitus ualdè debilitetur, ſimili affectu laborabunt etiam ſpermatico humore

generatæ partes illæ, de quibus dictum. Nam ſiccari tali febre partes quoq; illas ſpermaticas oportebit quodammodo defectu caloris ſeneſcentes. Aut ſi influens cordis calor alia cauſa ualde debilis fiat, neceſſe erit calorem quoq; illarum partium debiliorem factum, non ſuffecturum ad nutritionem, cauſam eſſe tabifici affectus & maraſmi in omnibus partibus reliquis. Nec poteſt fieri quin cõſumptione humidi per calorẽ hecticũ, ſimul etiam calor natiuus debilitetur. Cauſæ hæ ſunt duæ uniuerſalis maraſmi. quibus manifeſtum eſt, ſecundũ naturã habentibus fibroſis cordis, & è ſpermate natis partibus & membraneis, humiditatem amiſſam carnoſarum partium poſſe reſtitui, & detrimenta poſſe refici, ut efficientia nutritionis, & cauſa ἀρχήγονος adſcribatur meritò modo cõmemoratis partibus: Secundum naturam autem habentibus his partibus, quæritur, qui fiat, ut perpetua tamẽ non ſit nutritio, & cum nutritione uigor etiam & uita animalis non poſsit eſſe perpetua? Quidam, ut autor eſt Galenus in libro de Maraſmo, immortalem poſſe conſeruari uitam opinatus eſt. Omne quod generatum ſit, idipſum etiam interitui eſſe obnoxium, neceſſarijs argumentis negat Galenus eo in libro, eſſe demonſtrabile. Ariſtoteles demonſtrabile eſſe cenſet, ut in primo libro de Cælo, & in libro de longa & breui uita. quia uidelicet omne quod perditũ ſit materia, & quod contrarijs qualitatibus ſit ſubiectum, id ut generabile ſit, ita quoq; corruptibile eſſe. Omiſſa hac queſtione, inquirenda nobis eſt cauſa propter quam naturalis duratio uitæ periodo quodam ſit circumſcripta & definita, ut omnem neceſſe ſit eſſe finitam & mortalem. Inſtrumentum principale uitæ eſt, ἔμφυτον illud & ἀρχήγονον calidum & humidum, in dictis partibus, quod, conſubſtantiale ſeu coëſſentiale diximus πάθος

*proprium eſſe materiæ ultimæ conſtituens cum materia οἰκεῖαν ὕλην formæ ſubſtantialis.* Ergo, Qualitas uel Accidens non eſt, *quandoquidem cum materia prima οἰκεῖαν ὕλην, ſeu ἐσχάτην conſtituat, & ob id conſubſtantialem eam appellamus.* Nam propter eam, *ſubſtantialis potentia materiæ primæ actu ſubſtantiali, id eſt, forma conſtituente eſſentiam rei: permutatur.* Quò reſpiciens Galenus ἀρχέγονον *illud, non* Qualitatem, *ſed σωματοειδῆ οὐσίαν appellat, nō ut per ſe corpus ſed cum corpore primæ materiæ, & forma ipſa conſtituens corpus naturale, complementū ſcilicet materiæ primæ exiſtens, quo ſit & dicatur ἐσχάτη ὕλη, gratia cuius primò generetur & corrumpatur forma ſubſtantialis, ſi ipſam corrumpi contingat.* Calidum autem *illud ἔμφυτον cauſa eſt concoctionis alimentorū & in uentriculo, & uenis, & in primis, aſsimilationis qua nutrimentum nutrito corpori aſsimilatur.* Conſideramus autem *in calido natiuo rationem, & qua, σωματοειδὴς quædā eſt οὐσία, & qua, eſt qualitas uel accidens quoddam.* Quatenus *ut οὐσία conſideratur, uel, ut πάθος proprium οὐσίας, magis, & minus, non dicitur eſſe.* Sed quoad conſideratur, *ut* Qualitas *quædam, conſubſtantiali huic ineſt propter craſin elementorū, quæ quòd perfectior aut imperfectior dicatur, ipſum per ſe eſt manifeſtum.* Vt *qui perfectiori ipſius craſi ſunt prædıti, uiuaciores ſunt, ut ab origine creati mūdi perfectiſsima calidi natiui fuit craſis, quando erant uiuaciſsimi homines, poſterioribus ſeculis, minus fuit temperata craſis.* Differentia *autem hæc conſideranda in ſingulis, reſpectu ſingulorum, & in ſingulis, reſpectu ætatum, ut calidiſsimi & humidiſsimi ſunt pueri, ſenes autem frigidi & ſicci.* Pro *qualitatibus numerantur differentiæ tales, cùm una ſit omniū nihilominus eſſentia, ut ultime materiæ,*

ita

*ita quoq; conſubſtantialis huius humidi & calidi natiui, ut quæ ipſa quoq; ſit σωματικὴ quædam ὀυσία, differentiam ſecundum magis & minus reſpuens.* De cœtero autem officium eſt calidi natiui, ut inſtrumentalis cauſæ. *Animæ uegetatricis, corpus nutriendo uegetare, perfectiſsimumq; ipſius opus eſt nutrito corpori aſsimilare nutrimentum. Principatus autem eius eſt, ut ſupra fuit expoſitum, in partibus, quæ* ὄντως στερεὰ μόρια *appellantur, ut nutritione participantibus, carnoſæ etiam partes nutriantur, ipſis autem* ἀτροφίᾳ *tabeſcentibus, carnoſas etiam partes neceſſe ſit tabidas fieri.* Vigor autem & abundantia calidi natiui *tam efficax eſt in prima ætate ut propter nutrimenti copiam non tantum ſit in cauſa ut nutriatur corpus, ſed ut quantitas etiam ipſius augeatur, & adoleſcẽtia grandius fiat.* Qualitas temperamenti ipſius & craſeως augeri nequit, *ſed progreſſu ætatis decreſcens calor* ἔμφυτος *minuitur, humidum ſiccatur, ut deſinentibus utriſq; uita cum morte permutetur. Hæc uis & efficatia cùm ſit calidi natiui, ut nutriendo uitam conſeruet, quæritur de cauſa, qui fiat, ut non ſemper nutriendo, ſempiternam uitam proroget, ſed periodo quadam uita omnis ſit circumſcripta.* Si, *in quibus primò ineſt calidum natiuum, propter qualitatem & craſin ſimilem & eandem perpetuo efficatiam haberent aſsimilandi nutrimentum nutrito, ſimilis etiam uigor corporis ſemper duraret, & uitæ nunquam deſituræ cauſa quædam exiſteret calidum hoc* ἔμφυτον. Vt, *ignis perpetui cauſa eſſet, ſi deficiente nunquam materia & fomento ui nulla extrinſecus quis opprimeretur. Ignis autem & calor ille* ἔμφυτος: *qui fit ut nutrimento nunquam deficiente, & extrinſecus etiam nulla ui oppreſſo, nihilominus durabilis ſemper non ſit: & ut Aegyptius ille putauit,*

produci

*produci tempore infinito nequeat uita animatorum: Calor ſcilicet ἔμφυτος & ἀερώδης exiſtens, humido aqueo fouetur. Nam aëreum illud calidum & humidum perpetuo halitu è corpore euaneſcens, reparatur dum humidum aqueum calore natiuo permutatur in aereum humidum quod ipſum φύσει, & non τῷ πάθει calidum & humidum eſſe dicitur. Humidum autem aqueum cum terreo elemento concretum eſt. Efficaciſsimum eſt autem in prima ætate, ut nutrimento non modo quod exhalando cõſumptum eſt, reſtituatur, ſed amplius etiam, ut quod nutritur, adoleſcat & fiat quàm antea fuerit, maius. Poſt hanc ætatem calor ἔμφυτος nonnihil degenerat in igneum calorem, quoniam ἔμφυτος calor in concremento aquæ & terræ ineſt tanquam in aliena materia qua neceſſe ſit ipſum. tanquam ὑπεγκαύματι, foueri. Calore igitur nonnihil degenerante ad igneam qualitatem, humidum aqueum magis conſumitur, ſiccitaſq; terrea cum frigore utriuſq; elementi magis intenditur. Conſumit ergo ſeipſum, & uiciſsim reparat ſeipſum calidum ἔμφυτον, ſed magis tamen conſumit, quàm ſeipſum reparet, quod manifeſtum eſt uitæ ipſius mortalitate. Nam ſi utriuſq; paria ſint momenta, uitæ nimirum perpetuus uigor eſſet, neq; ætatum quædam eſſent diſcrimina. Itaq; calidum illud ἔμφυτον, agit, & patitur, reſtituit reficitq;, & reſtituitur reficiturq;. Efficax ad agendum eſt, aſsimilando nutrimentum ſibi, patitur autem etiam ratione humiditatis, dum ex aëreo nonnihil degenerans in igneum calorem, humiditatem ſuam depaſcit, ſiccitatem terream augendo. Propter Elementorum mixturam partim hæc accidunt Natiuo calido, partim ut animato corpori, & quatenus inſtrumentum eſt Animæ. Elementi calidi proprium eſt, ut exhalet, ut conſumat humidum, ſi foueatur humido, item, ut conſumpto humore, quod reliquum eſt, ſiccetur & refri-*

geretur. Quatenus autem inſtrumentum eſt Animæ, proprium ipſius eſt, ut ſeipſum conſeruet, & ſeipſum reparet, & detrimenta reſarciat, & omnino inde penes ipſum ſit cuſtodia & tutela. Nec eſt uerum quod Galenus ſcribit in libro de quatuor motibus contra naturam, ut tremore, palmo, & reliquis, ἀρχέγονον illud θερμὸν nihil aliud eſſe quàm ipſam corporis Naturam, & Animam, quum, ut diximus, animæ uegetatricis principale ſit inſtrumentum, nec ipſum eſt αὐτοκίνητον, aut ἀεικίνητον quiddam. Non enim ut Heraclitus cenſet, ignis, eſt cauſa & principium omnium, neq; etiam ignis artificioſus eſt aliquis, ut Stoici definiunt, ad gignendum progrediens uia, qui continentis cauſæ uim & appellationem habeat, cùm ut Ariſto: ſcribit in Metaphy: formam ſubſtantialem & materiam ultimam nihil componat aliud quàm extrinſecus generans cauſa, quandoquidem actus, & potentia, ſint principia ἄμεσα compoſitionis rerum, nec medio quodam uinculo continente ipſa ſit opus. Triplicem autem hoc loco ignem ſeu calorem diſtinguere libet, ut nimirum primum ſit in aliena materia ignis, ut qui tamen ad corrumpendũ ſuum ſubiectum ſit efficax. Alter, qui ſit in ſuo proprio ſubiecto, ut eſt igneum elementum craſi reliquorum elementorum conſtituens aliquid. Tertius, qui ſit quaſi inſtrumentum uegetatricis animæ, aut plaſticæ facultatis, quem artificioſum appello, ut ignis eſt in fabrorum officinis quo effingunt formas in ferro aut ære quaſdam. Illum ignem Paracelſus in ſuis ſcriptis nominat Mechanicum, & eundem Hippocrates in primo libro de Diæta ut potentiſſimum & efficaciſſimum in Natura Νῦν καὶ φρόνησιν diuinum prædicat eſſe, qui liber fortaſſe Stoici cuiuſdam eſt philoſophi, & non Hippocratis. Calor autem ille ſeu ἔμφυτος ignis, quoad inſtrumen-

mentum

*mentum eſt animæ, & omnia alia, & ſeipſum etiam conſeruat, & reficit, Quatenus autem concretum quiddam ex elementis eſt, & ut* Hippo: *loquitur* ὑπέγκαυμα *deſiderat, hac ratione ſeipſum deſtruit, & ſuum fomentum conſumit ut perpetua ipſi ſit opus refectione. Quo ſenſu dictum illud ab* Hippocrate *accipi debet, quando ſcribit:* καὶ ἀποκτείνει τοίνυν ἡμᾶς τὸ θερμόν, ὅπερ ἔφυσε τὰ σώματα. Non enim *quatenus* ἔμφυτον *& inſtrumentum eſt* Animæ, *ſed quoad cum elementorum concremento quiddam eſt coniunctum talis ignis.* Nam *perpetuo halitu exſpirans corpus, perpetua refectione nutrimenti indiget, quam calorem* Plato *in* Theateto *comparat telæ* Penelopes. Hippocrates *in libro* περὶ σαρκῶν Hominis *uitam ſcribit eſſe* ἑπταήμερον, *ut qui ſeptem dies priuatus nutrimento, moriatur. Quid ergo eſt quod occidit hominẽ ipſum? Nonne* ἔμφυτος *calor, quoad ſuum proprium humidum depaſcit, caloris ſeu Ignis, quoad in aliena materia ſubſiſtit, naturam huius, & hac ratione occidere calor hic dicitur. Itaq; conſideramus in* Natiuo *calido ſubſtantiam, & præterea* Qualitatem. *Quoad eſt* σωματικὴ οὐσία, *inſtrumentum ſcilicet eſt Vegetatricis animæ, & unum ſpecie eſt in omnibus hominibus. Quo ad uerò uſurpatur pro Qualitate, multas ſortitur differentias, & gradus, quæ ut ſupra oſtendimus, craſi elementorum diſtinguuntur, & quibus etiam uiuaces à minus uiuacibus differũt. Qualis qualitas eſt humoris natiui, talis etiam eſt ipſius caloris, utrumq; ſequitur temperaturã elementorum. Qualitas humidi natiui augeri nequit, ut quantitas poteſt, qua aucta quantitate, aut creſcunt corpora in prima ætate, aut diminutum humidum per nutritionis defectum, ſi reficiatur, rurſus alimento quantitas ipſius augetur corpus & fit habitius. Qualitas autem nullum habet*

Allegatur hic locus à Galeno in libro de Maraſmo. Non autem incõſentaneè dictũ illud eſt ab Hippocrate, tametſi Galenus librum hũc vt nothum, reſpuat.

*ad perfectius, incrementum, & detrimentum humidi natiui, tam non poteſt amiſſum reſtitui, quàm nullo detrimento affectum, non poteſt augeri, alioqui ſempiterna uita animalis eſſe poſſet, ut* Aegyptio Sophiſt*æ uiſum fuit.* Quid*nam cauſæ igitur eſſe cenſendum?* Calido *& humido natiuis imperfecta omnia perficiuntur, ut* Carnoſæ partes o*mnes, quando recreantur à morbis, item humores.* Item *ſpiritus.* Ipſa *autem ſeipſam hæc* ἔμφυτος *caliditas & humiditas neq; in melius augere, nec detrimeno affectam reparare denuò (ut diximus) poteſt.* Nam *ipſum ſeipſum idem numero exiſtens melius & perfectius efficere nequit, quum ipſum à ſeipſo, ut cauſa, & effectus, non differant, qua ratione etiam ipſum ſeipſum generare nequit, alioqui enim ſimul eſſet, & non eſſet.* Ipſum *autem imperfectum ſi ſeipſum perficeret, qua, perficeret, perfectum eſſet, qua autem ratione perficeretur, ipſum etiam imperfectum eſſet.* At *idem numero exiſtens nihil poteſt perfectum, & imperfectum ſimul eſſe, nec ipſum reſpectu ſui pati aliquid poteſt.* Calidum *autem natiuũ cùm ſit principiũ &* ἀρχαίγονον, *ſemper reſpectu alterius intelligitur non reſpectu ſui ipſius eſſe principiũ & cauſa, carens itaq; alio principio quæ perfectius queat effici, & ipſum ſeſe non poſſit efficere, ſequitur, ut humidi natiui, ac ſimul caloris qualitas nec augeri, nec deperditi in integrum reſtitui poſſit.* Et *hoc argumẽto probatur in primis mortalitas omniũ uita præditorum in hoc caduco mũdo.* In *humido autem & calido* ἐμφύτοις, *cauſa eſt detrimenti & interitus, nempe contrariorum elementorũ concretio, quibus actione & paſſione inter ſe mutua pugnantibus, compoſitũ ipſum neceſſe eſt diſſolui, & ſubinde deterius habere, nullo alio principio exiſtente quo labes hæc refici aut reperari queat, ut paulo ante eſt demõſtratum.*

ſtratum. Nam ut inquit Galenus in libro de maraſmo εἰ μὲν ἰόντι ἦν τῇ φύσει μέχρις τῆς ἀκμῆς προαγαγούσῃ τὸ ζῶον, ἢ φυτόν, αὖθις ἑτέραν ἐνθεῖναι στοιχείωσιν ἀναλόγως ἴσην καὶ τὴν δύναμιν, οὕτως ἂν μόνως ἀγήρωτε καὶ ἄφθαρτον ἔμενεν αὐτῇ τὸ δημιούργημα, σοφοῦ τινος ἐπιστάτου τυγχάνον. Itaq; progreſſu temporis & ætatis humidum natiuum illud reſiccatur, ſimul debilitato calore, ut ex nutrimento ſimile amiſſo, quantitate, & qualitate, humido priori nequeat reparari. Nam ut uinum (inquit Ariſtoteles) ſi ſubinde diluatur aqua, tandem efficitur ὑδαρές & euaneſcens, quum uinum, permutare non poßit aquam, in uinum, ut ipſa permutatur aliâs quando uuæ in uite matureſcunt, & uinum ex ipſa aqua in uuis generatur. Ita calido natiuo efficaci & ualido exiſtente, nutrimentum etiam ipſius in ſimilem ſubſtantiam conuertitur. At ui langueſcente ipſius, ut uinum aquoſum, inefficax redditur, ut ipſum ſeſe amplius nutrire nequeat, aut nutrimentum in ſuam ſubſtantiam mutare, ut fugiens uinum, enaneſcendo non mutat aquam in uinum, ſed ὑδαρὲς magis efficitur. Verũtamen non ſenio duntaxat, ſed etiam morbis μαρασμώδεσι qualitates illæ ἀρχαίγονοι contrarijs permutantur, quorum unus eſt, qui refrigerat natiuam caliditatem cordis, & ſenectus præter ætatem appellatur, alter, hecticæ febris calore humiditatem fibroſarum ipſius partium conſumit. Vtriſq; uniuerſum corpus tabeſcit, inſtrumento ſcilicet primo uegetationis & nutritionis inualido exiſtente, cùm nec humiditas ſine calore natiuo, nec calor natiuus ſine humiditate ſit efficax ad nutriendum. Sic autem carnoſis partibus affectis, ſed ſaluis & integris fibroſis, quod contabuit, reſtitui denuò poteſt intemperies depulſa ſi fuerit, quæ impedit caloris natiui effi-

Gale in Arte medica cap. 69. lib.3.Aph. com. 17. Item in libro de maraſmo, & lib. 11. Methodi medendi.

cientiam. Incaleſcunt autem ſumpto cibo magis hectica febre laborantes, quod uidelicet nutritione ut calor cõplexionalis augetur, ita ſimul cum ipſo febrilis etiam intenditur. Nam ſimul ambo calores creſcunt, cùm febrilis nullus ſit calor, non exiſtente naturali calore. Quòd ſi ardentiſsimis, aut peſtilentibus alioqui febribus, remiſsior calor appareat, ſignum eſt remiſsio hæc Natiuum cordis calorem admodum refrixiſſe, quòd uidelicet infirmo calore cordis, febrim quoque accidat eſſe tepidam & remiſſam. Nec eſt alia cauſa quòd febris uini potu intenditur: quàm quod uino complexionalis calor cordis augetur, & ſimul etiam febrilis calor intenditur. Nec eſt quòd dicet aliquis in febribus hecticis augeri qualitatem natiui per ſe caloris (ut qui augeri nequeat non aucto quoq; humido natiuo) quoniam iſtud ijs, quæ ſupra à nobis ſunt demonſtrata, repugnat, ſed augetur calor cordis complexionalis, qui differt à qualitate Calidi inſiti, ut qui propter mixturam & craſin elementorum inſit carnoſis etiam partibus omnibus & humoribus. Quo alioqui ſunt & dicuntur etiam temperamenta diſsimilia, quibus dicimus aliquos habere calidius, aut frigidius, humidius aut ſiccius cor, aut Hepar, aut Ventriculum, aut caput, aut in uenis ſanguinem. Calidiora hæc dicuntur fieri, calidorum uſu, aut frigidiora uſu refrigerantium, ut quando Hippocrates ſcribit, Ventres fieri hyeme calidiores. His gradibus Medici diſtinguunt Temperamenta partium corporis, quæ craſes, à quibuſdam complexiones appellantur. Huic calori naturalis temperamenti oppoſitus eſt calor morbidus. Tot autem modis calor ineſſe Corpori dicẽdum, ſiquidem uitare homonymiam uelimus huius uocabuli.

Liquet ex his, quæ commemorata hactenus ſunt, quod nam

*nam diſcrimen ſit inter* τῇ φύσει *&* τῷ πάθει *calidum, & quod* ἔμφυτον, *ſit* τῇ φύσει *calidum, quoad uidelicet ſit* ἀερῶδες, *& non* αἰθερῶδες *quoddam corpus, quod Ariſto: libro 2. de generatio: Animal:* ἀνάλογον τῷ ἄνω στοιχείῳ φύσιν *habere ſcribit, atq; idipſum cenſet Fernelius eſſe quod Medici appellent* ἔμφυτον θερμόν, *ſed non paruo, ut mihi quidem uidetur, errore. Etenim Galenus libro quinto de Simplicibus medicamentis, & in libro contra Lycum Sophiſtam,* ἔμφυτον θερμόν *dicit materiam eſſe mixtam è ſpermatico humore & ſanguine menſtruo, è qua primò formetur fœtus, & non* αἰθερῶδες *quoddam corpus. Eius hæc ſunt uerba.* ἔμφυτον θερμόν, τό ἐξ ἀρχῆς ὑπάρχον τοῖς γεννωμένοις, τοῦτ᾽ ἐστίν, ἐξ οὗ τὴν πρώτην ἔσχηκε γένεσιν, ἄρ᾽ οὖν ἄλλο τι τοῦτ᾽ ἐστὶ πλὴν καταμηνίου, καὶ σπέρματος: *Enimuero ſpermaticus humor, non eſt ipſum* ἔμφυτον θερμόν; *ut quod (quemadmodum diximus) conſubſtantiale ſit fibroſis & membraneis è ſpermate generatis corporibus, ut ipſius, ſpermaticus humor, non autem ſanguineus, ſit materia, & nequaquam ſubiectum, ut hoc loco definit* ἔμφυτον θερμόν, *Galenus. Multo minus poterit eſſe* αἰθερῶδες *quoddam, & ut Ariſtoteles appellat,* ἀνάλογον τῷ ἄνω στοιχείῳ, σῶμα, *utpote quod ex elementis nequaquam ſit concretum corpus, ut eſt* ἔμφυτον θερμόν, *ut quod ſit temperamento aêreum calidum & humidum, quod cœleſti tamen proportione non reſpondeat. Præterea calidum* ἔμφυτον *adſcribitur corporibus quoad ſimilaria ſunt, & non organica, ſed* αἰθερῶδες *illud, quod, ut ſcribit Galenus lib. 7. de placitis Hippo: & Plato: aut Anima ipſa eſt, aut* ὄχημα *Animæ, non tam ſimilaribus, quàm organicis partibus efformandis, & conſeruandis efficatiam habet, & gene-*

rando, & per uegetationem conſeruando ipſum Animal. Etenim Anima ipſa, λόγος eſt, ſed nõ ὅλως λόγος, ut eſt Mentis λόγος, ſed λόγος τῇ ὕλῃ συνειλημμένος efficax uiuificis energijs, ſeipſam & ſuum corp. ex elementis concretũ conſeruare & gubernare. At uerò ποιητικὸς nullus eſt λόγος, ſine corpore in rebus naturalibus, tale autem Animæ corpus ſeu ὄχημα, neq; ignis eſt, aut elementum quoddam, neque concretum quid ex elementis, ſed corpus quoddam eſt proprium eſſentiæ Animæ, quæ ut ἐντελέχεια impatibilis eſt, & duntaxat efficax ad mouendum & efficiendum, ut cœleſtia ſunt corpora; quorum inſtrumento cœleſtium orbium Animæ uniuerſa hæc inferiora & caduca regunt, mouent, alterant, & gubernant, quibus Analogia quadam ſimile eſt corpus & ὄχημα illud Animæ, caducorum & mortalium Animatorum, quod ipſum, nequaquam ſit calidum natiuum ipſum, propter cauſam dictam, & potius ſit inſtrumentum primum huius corporis αἰθερώδους appellandum. De hoc corpore quaſi cœleſti & proprio Animæ loquitur Ariſto: lib. 2. de generatio: Animal: ad hunc ſcribẽs modum. Πάσης μὲν οὖν ψυχῆς δύναμις, ἑτέρου σώματος ἔοικε κεκοινωνηκέναι καὶ θειοτέρου τῶν καλουμένων στοιχείων. ὡς δὲ διαφέρουσι τιμιότητι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀτιμίᾳ ἀλλήλων, οὕτω καὶ ἡ τοιαύτη διαφέρει φύσις. Ariſtoteles αἰθερώδης illud dicit, nempe hanc ζωτικὴν ἀρχὴν, eſſe quiddam Analogia ſimile quinto elemento, cœleſti uidelicet corpori, idq; appellari uulgò etiam ζωτικὸν θερμὸν, ut quo generentur Animata, quemadmodum aliâs etiam Solis calore, aut Animalis, Animata generentur, non autem calore ignis, ὅτι μὲν οὖν ἡ ἐν τοῖς ζῴοις θερμότης οὔτε πῦρ, οὔτ' ἀπὸ πυρὸς ἔχει τὴν ἀρχὴν, ἐκ τῶν τοιούτων ἐστὶ φανερόν. Cœleſtis

corporis

*corporis uirtuti & efficaciæ ζωτικόν illud θερμὸν ſimile eſt quod tamen neq; ignis ſit, neq; igneum quoddam, ſed ſit artifitioſus quiddam ignis, ut* Zeno *ipſum appellat, & ſpiritale quoddam mechanicum corpus, impatibile. & ut* Hippocrates, *ſeu quicunq; is fuerit qui tres de diæta conſcripſit libros, primo libro ſcribit.* τὸ θερμότατον καὶ ἰσχυρότατον πῦρ, ὅπερ πάντων ἐπικρατέεται, διέπον ἅπαντα κατὰ φύσιν, ἄψαυεν καὶ ὄψει καὶ ψαύσει. Εν τούτῳ ψυχή, νόος, φρόνησις, αὔξησις, κίνησις, μείωσις, διάλλαξις, ὕπνος, ἐγρήγορσις. τοῦτο πάντα διὰ παντὸς κυβερνᾷ, καὶ τάδε καὶ ἐκεῖνα οὐδέποτε ἀτρεμίζον. *Sed de corpore illo quaſi cœleſti & ſpirituali, in libello de ſemine & plaſtica facultate commodius differemus , ſatis eſt in præſentia ſi intelligamus non idem eſſe* θερμὸν ἔμψυχον *ſeu* ζωτικόν, & θερμὸν ἔμφυτον, *quæ confudiſſe uidetur* Fernelius, *ut in quibuſdam etiam alijs eſt hallucinatus.* Aliud *porro eſt* σύμφυτον θέρμον, *quod ipſum eſt etiam in corporibus inanimatis naturalib. mixtis ex elementis quæ neceſſe eſt per calorem naturalem coaleſcere, ut ex omnibus una quædam fiat ſubſtantia inſtrumento caloris, quo, ut liquet, definitione ipſius, coaleſcunt* καὶ συγκρίνονται τὰ ὁμόφυλα. *Coalitum illum, ſeu concretionem appello* σύμφυσιν, *quæ ſine naturali principio nō poteſt eſſe unitas. Diſſoluitur unitas hæc, duobus modis nempe corruptionis. Horum alter uiolentus eſt, ut ſi quod concretum eſt, igne corrumpatur.* Alter, *ſi proprio calore extincto ſubeat alienus & externus, diſſoluēs putredine quod conſtitutum erat* φύσει. *Contrariè hæc* διάλυσις *ſeu* διάκρισις *opponitur* συμφύσει. *Hac* συμφύσει *præditæ ſunt omnes partes ſimilares corporis animati, & ut anima priuentur, nihilominus* σύμφυσιν *hanc non amittunt, ut caro,*

*uenæ, nerui, oſſa. Animationis actu & ἐντελεχείᾳ priuata, ut eſſentiam priorem amittunt, ita quoq; Nomen, ut mortua caro, nõ niſi caro æquiuocè appelletur. Perempta autẽ anima, non ſimul etiam συμφύσεως natura hæc perimitur, quæ & ipſa, quædam οὐσία eſt, uerùm reſpectu animationis, non actu, ſed δυνάμει exiſtens. Inanima autem caro, iam alia quædam caro eſt, actu proprio exiſtens, & actio ipſius, aut paßio propria cùm ſit ignota, proprium nomen non habet, ſed ut animata, participat eodem, ſed æquiuoco nomine. Phyſica autem corpora omnia, δυνάμει actionis, aut paßionis cuiuſdam definiuntur. Perfectißima autem ſunt animata, Imperfectiora, inanima, ignotis enim actionibus, & paßionibus, ſeu ἐνεργειῶν differentijs, ipſæ quoque οὐσίαι & δυνάμεις definiri nequeunt uſus & finis gratia omnia ſunt condita à* Deo, *& nos, inquit* Ariſtoteles, *omnium ferè rerum naturalium finis ſumus.* Et Caro, *non animata etiam, οὐσία eſt, cùm ſit naturæ opus, & carnis materia, nempe elementa, ſunt οὐσίαι, quæ δυνάμεως ratione, ut ſubijciuntur formæ ſubſtantiali carnis, ſic caro ipſa, ut δυνάμει exiſtens, materia eſt animatæ carnis, quæ uerè & ſimpliciter* Caro *dicitur.* Vt *autem elementa, ſua quadam ſubſtantia extra formam carnis ſubſiſtunt, ita caro quoque naturalis tantum, & non etiam animata caro appellatur,* Sic *caro naturalis hæc, ſeparabilis eſt, ut actu, ſine anima ſubſiſtat, phyſin quandam ſuam habens, cùm ſit effectus naturæ, & non artis, propria ſunt accidentia carnis naturalis, quorum cauſa & principium ſit ipſa natura carnis.* Sunt *etiam actiones & paßiones aliæ, quas ipſa reſpectu aliorum habere dicitur, quæ hiſtorijs medicis & phyſicis explicantur, ut ſtirpium etiam, uacantium anima,*

*& metallorum, & poſtremò elementorum, ut tamen perfectis animatis naturis, nihil uideatur perfectius eſſe. Extrema eſt materia prima, naturæ mediæ, quædam propius aſpirant ad perfectionem formæ, nonnullæ propius accedũt ad materiæ imperfectionem, de quibus naturæ gradibus doctè & argutè multa ſcribuntur apud Ariſto. in fine Quarti libri* μετεώρων. *Ex his quæ diximus, liquet, non tantum Animatorum naturam &* οὐσίαν, *ſed omnium quandam οὐσίαν exiſtere, quæ nimirum* συμφύσει *elementorum quiddam unum ſecundum naturam eſſe dicuntur, quoniam* σύμφυσις *ſine natura nequit eſſe, quamuis ſine anima eſſe poſſit, cuius* συμφύσεως *craſis quidẽ ipſa, nõ ſit cauſa, ſed cõtra potius, natura, ſit cauſa ipſius craſeos. Omnis porro Natura, ſubſtantia eſt, ſed craſis omnis, proprium ipſius ſubſtantiæ exiſtit* πάθος. *Natura enim cauſa eſt proprij* πάθους. *Hactenus quot, & quibus ſignificatis uocabulum, calidi, uſurpetur oſtendimus, necnon principaliter illud* ἔμφυτον *ſubſtantiæ cordis ineſſe, deinceps, fibroſis, membraneiſq; è ſpermate generatis partibus, & propter illas in carnoſis etiam partibus ineſſe demonſtratum eſt, eiuſq; officium eſſe ut concoquat alimenta in uentriculo, & in uenis, & ut nutriturus humor ſimilaribus omnibus partibus apponatur, agglutinetur, & poſtremò aſsimiletur nutriendis partibus.* Εμφύτῳ *autem calori cùm ſit opus (propter cauſam ſuperius commemoratam) perpetua ex alimentis refectione, ipſum ſcilicet ſeipſum calidum illud reparabit, & conſeruabit aſsimilando ſubſtantiæ nutriti corporis nutrimentum, quam reparationem & aſsimilationem non præſtaret, niſi inſtrumentum eſſet* ἐμψύχου *&* αὐθεράδους *caloris, quum non niſi animata nutriantur, & princeps cauſa*

ſit anima, cuius quale corpus ſit αἰθερῶδες, ſupra fuit expoſitum, Ipſum enim expers materiæ (ut etiam eſt anima) & ἀπαθὲς exiſtens, nutritione nõ indiget, & abolita harmonia corporis, ipſum nempe ὄχημα illud ſimul cum anima interit, ſi mẽtis expers ſit anima. Anima enim mouet corp. inſtrumento αἰθερώδους σώματος, non enim eſt οὐσία ἐνεργεία, & δυνάμεις ποιητικαὶ animæ corporis δυνάμεσι oportet diſtingui, ut uim habeant ad mouendum. Proinde ἐπίῤῥυτος ſeu influens cordis calor, & proprius cuiuſq; partis ἔμφυτος, uegetationis cauſa ſeu nutritionis exiſtunt, nempe utriſq; unum εἶδος cauſæ conſtituentibus. Nam neque influens & communis ſine proprio calore, neq; proprius, ſine influente efficax ad nutricandum uidetur eſſe, nutritionis tamen προσεχὲς & κυριώτατον αἴτιον eſt, calidum cuiusq; proprium & uernaculum. Materiæ autem προσεχεῖς duæ ſunt nutritionis, nempe Spermaticus humor, & ſanguineus, uterq; participans aqueo & terreo elemento (nam ſine his ſolidum non poſſet eſſe corpus) natura frigidis exiſtentia ac non niſi κατὰ τὸ πάθος calere dicuntur, nihilominus tamen tanquam contraria, fomentum & ὑπέγκαυμα natiui & aêrei caloris eſſe dicuntur. In mixtis enim, aereus & igneus calor, nèceſſe eſt ſi perpetuò exhalent & euaneſcant, ut his quaſi contrarijs, denuò reparentur. non enim ſine motu eſt alteratio, & motus non ſine contrarijs, ſanguinem autem, ut φύσει ſeu natura frigido, & quo omnes partes neceſſe eſt uegetari, ut caleret, inſtrumentis uenarum & arteriarum calefacientibus ipſum, natura tanquam uaſis incluſit, ſic ut minus calidus uenis, calidiſsimus autem corde & arterijs contineretur. Exuperat calor aêreus, ſpiritaliſq; ſubſtantia in cordis & arteriarum ſangui-

ne, cu-

*ne, cuius refrigerationem & excrementorum fumoſorum expulſionẽ molita eſt natura ſpiraculis pulmonis, & pulſu in arterijs ſemper ſurſq; deq; uibrãtibus. Huic ſemper euaneſcẽti calori & ſubſtãtiæ animati corporis opitulatur natura, certis periodis uitam illorum determinans, ut nullo modo, quemadmodum Aegyptio huic uiſum fuit, poßit eſſe ſempiterna uita. Propter influentiam autem caloris, cor, ut calidißimum comparatur reliquis partibus, quæ comparatio qualis ſit, in præſentia eſt conſiderandum. Multis modis, id eſt, æquiuocè, unum, alio dici calidius monet Ariſto: lib. 2. de partibus animal: Quæ ſint autem uni uocè comparabilia, docet Ariſto: libro 7. phyſicorum. In his, inquit, hoc modo cõparabilib. id quod ineſt & in quo ineſt, à ſimiliter cõparatis, ſpecie nõ different. Vt cor, ſi cordi cõparetur, aut cerebrum, cerebro, aut caro, carni, comparatione uera comparabilia erunt. At ſi cor dixeris calidius eſſe cerebro, aut iocinore, cùm τὰ πρῶτα ἀισθητικὰ differant ſpecie, comparatio ſcilicet æquiuoca erit, & perinde erit atq; ſi compares humiditatem aqueam cum aëre in humiditate, aut calorem aëris cum calore igneo, aut calorem ſanguinis cum calore uenoſi generis. Quo manifeſtum eſt, quòd Lycus Sophiſta, contra Hippocratem diſputans, non rectè & conſentaneè probarit calidiores eſſe Iuuenes, pueris, comparando ἔμφυτον, calori temperamenti, ſeu complexionis, ut vulgò appellant. Nam ſi quæ ἔμφυτος calidi‑tas eſt in corde, ea inſit cerebro, aut contra, tum neque cor, neq; cerebrum (quum ſint conſubſtantiales ἔμφυτοι calores) uita participarent. Nam temperamenti etiam calores, differentiam ἐμφύτου caloris ſequuntur, ſi ſint in latitudine ſanitatis. Diſtinguuntur porro his differentijs calo‑*

rum, duo genera morborum, unum eſt, quod, propterea quòd inſit partibus ἔμφυτον calorem habentibus, qui hecticus dicitur morbus, quod genus licet nonnunquam propulſari poßit remedijs, detrimentũ tamen & quod amißũ eſt humoris, reparari nullo modo poteſt. Alter eſt calor temperamenti ſeu complexionis carnoſarũ partiũ, qui depulſo morbo reparabilis eſt. Quin etiam ſanitates gradibus differunt, reſpectu huius ἀρχεγόνου calidi & humidi. Illud enim ſi temperatißimum fuerit, perfectißimam conſtituit ſanitatem, quam græci nominant εὐεξίαν, ut quæ reſpectu cauſarum morbificarum maximè ſit ἀπαθὴς habitus. Inferior hoc eſt habitus, quẽ medici appellant ἕξιν ὑγιεινὴν, vulgaris ſcilicet & mediocris ſanitas, quæ minus reſiſtit morbis. Tertia eſt caduca, & procliuis in morbum ſanitas, quã neutrã & κατὰ σχέσιν appellant. Vna atq; eadem plaſtica facultas eſt omnium, qui etiam una ſpecies animæ, ſed materiæ ſeminalis & menſtrui humoris differunt temperamentis (ex elementis enim concretum quiddam uterque humor eſt) quem ex ſanguine inſtrumento ſpermaticorum uaſorum generari neceſſe eſt. Sanitas autem partium, in quibus eſt ἀρχέγονον calidum & humidum, cum morbo carnoſarum partium ſimul eſſe poteſt, non enim contrariè pugnãt cum ſint in diuerſis primis ſubiectis. Ac præterea contentorum morbi, ut ſanguinis & ſpirituum morbi, non etiam ſimul coafficiunt καθ᾽ ἕξιν ſolidas partes, ut diaria, aut putrida febris, non niſi κατὰ σχέσιν cor afficit, ut calor contra naturam cordis, quodammodo ſymptoma ſit harum febrium, morbo ipſo exiſtente in ſpiritibus, aut humoribus, qui morbus, cauſa ſit febris, id eſt, caloris in corde contra naturam, tanquam ſymptomatis cuiuſdam, tametſi morbus

*etiam, alterius morbi poſſit eſſe cauſa, & ſimul duo poſſint aut plures eſſe morbi. Proinde ſi quis ſolidas partes compa-rat, contentis, principatus energiarum & ſubſtantiæ pe-nes ſolidas eſt partes, quæ cùm ſint organicæ propriè & per ſe informari dicuntur ab anima, ut quæ anima ſit* Ente-*lechia corporis organici, ut ob id nõ organica, non per ſe a-nimata dicantur, propterea quòd omnia inanimata, ſint ſimilaria, & non animata corpora.* Contenta autem, *ut ſanguis, & ſpiritus, ſunt per ſe animatorum inſtrumenta, ut ſanguis, uegetationis, ſed animalis ſpiritus, ſentientis & mouentis in loco facultatis.* Et *ſpiritus quidem ipſe per ſe neq; ſentit, neq; mouet loco corpus, ſed cerebrum median-te ſpiritu ut inſtrumentum utramq; energeian exercet, & cerebri ſubſtantia generantur quoq; ſpiritus illi in cauis ce-rebri, quemadmodum ſanguis etiam uenis, & arterijs ge-nerari conſueuit. Inſtrumenta quidem prima animæ, ſunt ſolida corpora, ſeu* στερεὰ μόρια, *quæ anima ipſa non ſunt, ſed animata corpora. Sed contenta ut ſpiritus, aut ſanguis, neq; anima ipſa ſunt, neq; animata, ſed inſtrumẽta animato-rũ, & quæ ſubinde à continentib. generẽtur. Etenim ſolidæ partes dũtaxat nutriuntur, ſed contenta nõ nutriuntur, ſed duntaxat generãtur, & augentur ſed nõ adoleſcendo, ut ſo-lidũ. Deinde cerebrũ ſentit, ut Galenus docet, per ſe & pri-mo, quare ſpiritus per ſe nõ ſentient, ſed inſtrumentum dun-taxat ſunt, quo cerebrum ſentiat, differunt autem,* Quod, *& quo. tanquam inſtrumento, fit quid iam.* Quinetiam *nerui per ſe non ſentiunt, quia ſunt inſtrumentum cerebri, ſed nihilominus animatum ſunt corpus, quia ſolidum, & quatenus ſolidum, nutriuntur etiam, ſpiritus animalis non nutritur, quare animatus non eſt. Deinde qualitas etiam*

In putridis & Diariis febribus, ſanguini aut ſpiritui *καθ' ἕξιν,* ſed ſubſtãtiæ cordis *κατὰ σχέσιν* febrilis calor ineſt. Symptomata *κατὰ σχέσιν* inſunt

*diffuſa*

*diffuſa per neruos etiam animata non eſt, quia qualitas, nã nec radij ſolis ſunt animati, licet ſol ipſe ſit animatus. Quare errant qui ſpiritum principale inſtrumentum ſenſus eſſe dicunt. Vnitas porro, qua multæ partes organicæ & diſſimilares, unum aliquid ſunt naturali & ſubſtantiali συνεχέᾳ, differt ab ea unitate, qua ex multis fit aliquid unum συμφύσει. Etenim multa, quæ ſunt unum συμφύσει, una quadam naturæ ſpecie deuinciuntur, ut ſanguis, lac, uinum, caro, aut uena animationis expers, herbæ exanimatæ, & uegetatrice anima ſpoliatæ. Differunt naturis etiam partes ſimilares corporis animati, & ob id ipſum unum συμφύσει compoſitæ conſtituẽtes organon nullo modo poſſunt eſſe. Nam in his quæ ſunt unũ συμφύσει, nullum eſt internũ motionis principium, quoniam ut Ariſtoteles ſcribit libro θ Metaphyſicæ ᾗ συμπέφυκεν, ἐθὲν πάσχει αὐτὸ ὑφ' ἑαυτȣ̃. Εν γὰρ, καὶ ȣ̓κ ἄλλο, τό συμπεφυκός. Vt autem συνέχεια eſt naturalis quædam partium, quæ ſunt organicè unum aliquid φύσει, ita etiam quædam eſt συνέχεια παρὰ φύσιν, ut ſi præter numerum legitimum adnaſcitur quod corpori organico animato, id ipſum non φύσει, ſed βίᾳ dicitur συνεχές. ſunt etiam quæ συμφύσει unum dicuntur eſſe, ſed παρὰ φύσιν, ut concrementum diſsimilium metallorum, aut uini & mellis, ut quæ φύσει & ſubſtantialiter non unũ exiſtant, ut mel συμφύσει unum eſt, aut uinum, aut caro, aut neruus quæ omnia unum συμφύσει κατὰ φύσιν eſſe dicuntur. Quibus autem partibus conſtituitur φυσικῇ συνεχέᾳ unũ ſubſtantiale, eas, quatenus actu ſunt ſeparatæ, neceſſe eſt ut priorem animationis ȣ̓σίαν amittant, ut ſi caro aut neruus ſeparetur ab animali, aut oculus, aut brachium, has autem partes non conſtituere unam & totam ſubſtantiam animalis*

malis συμφύσει, manifeſtum eſt. At ſimilaris οὐσία, reſpectu ſuarum partium συμφύσει unam dicitur ſubſtantiam conſtituere, eius partibus ſcilicet ſeparabilem actũ & οὐσίαν habentibus, ut carnis partes nempe Elementa, eandem habẽt ſubſtantiam ſeparata, quam habent ἐν τῷ συμπεφυκότι, ſed extra συμπεφυκός, conſtituunt elementa unum per accidens, ut aceruo lapidum, conſtituitur ut unum per accidens. At συμφύσει, unum per ſe ex his nẽpe naturæ gratia ſubſtantia unum conſtituitur. Prima hæc eſt compoſitio animati corporis partium, quæ ex elementis ſimilares partes conſtituuntur per σύμφυσιν. Altera, quæ, non per σύμφυσιν, ſed συνεχείᾳ φυσικῇ conſtituuntur partes organicæ, & tertia, quæ, ex organicis eadem συνεχείᾳ conſtituitur totum animatum corpus. Similares partes naturam habẽt, quæ δυνάμεως gratia poſſunt ſubijci animæ, ut informanti ἐντελεχείᾳ, & perempta hac eſſentia organica, ſeu animationis forma, ſoluta unitate φυσικῆς συνεχείας, nihilominus ſimilares partes aliquid unum συμφύσει dicuntur, ut omnia corpora naturalia aliâs ex elementis, opificio naturæ, concreta unum συμφύσει dicuntur. Differunt autem partes, quatenus φυσικῇ συνεχείᾳ ſunt aliquid unum, & quoad συμφύσει ſunt unum. Nam ut uiuæ, & organicæ, ab interno principio, nempe ab anima habent ut agant, & patiantur aliquid. Sed quæ ſola συμφύσει ſunt unum aliquid, à ſeipſis, & interna cauſa non habent quod agant, uel patiantur, ſed reſpectu eorum duntaxat quæ nullam cum ipſis habent συνέχειαν φυσικήν. Nam quæ συνεχείᾳ φυσικῇ ſunt unum, his accidit interdum ut aliquid ſint unũ συμφύσει, ſed παρὰ φύσιν, καὶ βίᾳ, cùm ſit alia, φυσικὴ συνέχεια, & alia ſit ἁπλῶς Quantitatis, συνέχεια ratio-

necu-

ne cuius nullum poteſt internum principium eſſe, actionis, uel paßionis. In amputatis organicis partibus animatorum perimitur principium, ut in perfectis animalibus; ſed in imperfectis, ut uiperis, & ſerpentibus, & ſtirpib. ἀρχαὶ motrices in partibus etiam ſeparatis aliquandiu inſunt, qua ratione & ipſæ diſſectæ partes hanc φυσικὴν συνέχειαν non amittunt ſtatim. In partibus autem ſimilaribus priuatis uita & ſeparatis, non etiam unitas συμφύσεως perimitur, ut cuius γενέσει, oppoſita ſit putredo, naturalem hanc unitatem & σύμφυσιν diſſoluens. Huius συμφύσεως cauſa eſt plaſtica uis, quæ aut in ſeminibus deliteſcit, aut cœleſti corpori adſcribitur, cui σύμφυσιν ſuam debent inanima, & duntaxat Naturalia appellata corpora. Artibus autem nihil efficitur συμπεφυκός unũ, ſed duntaxat per accidens unum conſtituitur. Ariſtoteles libro ξ. Metaphyſicæ, triplicem hunc modum unitatis diſtinguit in unum, συνεχείᾳ, & unum συμφύσει, & unum per Accidens totum ex partibus conſtitutum. Partes duntaxat δυνάμει, & non etiam actu, χωριστόν quiddam dicuntur, quæ ſeparatione ſpeciem prioris οὐσίας amittũt, ut oculus ab animali erutus, aut caro & animata, nam φυσικῇ συνεχείᾳ, id quod ſunt, eſſe dicuntur, ut hac ratione actu eſſe ſeparatim non poſſint dici. At ſimilares ſunt, cuius partes ut δυνάμει inſunt toti, ratione συμφύσεως, ita quoq; actu ſeparabiles poſſunt eſſe, ut Phyſica omnia ſunt corpora ex quatuor Elementis συμφύσει compoſita, quibus extra σύμφυσιν compoſitis nõ niſi per accidens unum (quale unum, eſt aceruus) conſtituitur. Partes autem, quæ hoc modo inſunt δυνάμει, & ſeparabiles etiam ſunt ſuo actu, ut materia quædam totius eſſe dicuntur, ut gratia quarum generationi & corruptioni

*ὁμοιομερῆ ſunt obnoxia corpora. Aliæ partes ſunt, quæ δυνάμει tantum totis inſunt, & ſeparatæ actũ illum οὐσίας amittunt, qualem ſcilicet organicarum partium οὐσίαν eſſe diximus, conſtituentium totum animatum corpus. Quarum partium per ſe generatio quædam eſt ex elementis συμφύσει concretarum, illas ſi contingat miſceri, ijs per ſe & totum unumq́; συμφύσει non conſtituetur, ſed per accidens unum, ut conſtituitur maſſa metallica, uarijs metallis mixta & compoſita, ſic etiam ab arte mixta omnia, non συμπεφυκότα mixta appellantur. Habentium autem partium φυσικὴν συνέχειαν, perempta forma & eſſentia animata, non etiam naturalis συμφύσεως forma ſimilarium corrumpitur, propterea quòd ex elementis, tanquam materia, fit compoſita pars ὁμοιομερής. Organicæ autem partes, è ſimilaribus, & totum animal, ex organicis compoſitum quiddam ſunt, ex partibus his, non ut ex materia, ſed ut phyſicum continuum corpus, ex partibus, toti integrali ſuam eſſentiam tranſcribentibus. Nam alioqui partes ad totum referuntur, ut partes quantitatis, ſed eſſentiam ſuam propriam tamen & ſeparabilẽ habentes, quam totius eſſentiæ nequaquam acceptam ferunt. Quo fit etiam ut totum σύνολον phyſicum compoſitum ex partibus organicis ex partibus his tanquam materia nequaquam generatum poſſunt dici, & ut Ariſto. inquit libro ſecundo de generati: animali, à plaſtica facultate ſimul ſimilares, & organicæ partes generantur, ex elementis autem ſimilares generantur, ut ex materia unam quandam cuiuſque, naturã συμφύσει conſtituendo, quæ δυνάμει quadam ſubijciatur informationi animæ, & quæ ſine anima etiam ſua propria natura ſubſiſtere (ut ſupra diximus) ſeparatim poſſit.*

*poßit. Hactenus demonſtratum eſt, duobus. modis ex multis partibus, unum* οὐσίᾳ *& per eſſentiam conſtitui, & quænam differentia ſit illarum, & ex partibus compoſitarum ſubſtantiarum expoſuimus.* Nunc deinceps *conſiderabimus, num ſola corpora animata, propter animam, ſint prædita forma ſubſtantiali, reliquorum autem omnium ut inanimorum eſſentia nulla alia ſit quàm craſis quædam mixtorum elementorum, ut natura rerum, nihil aliud ſit in corporibus inanimis (ut quibuſdam uidetur) quàm ſola mixtio, & mixtorum corporum alteratio, ut uiſum* Empedocli *fuit, cuius errorem non uno in loco repræhendit* Ariſtoteles *negantis* Naturam *formalẽ, quæ* λόγος *eſt, &* οὐσία, *ineſſe rebus* Naturalibus. *Manifeſtum eſt, formam ſubſtantialem (quam philoſophi* λόγον *appellant, quòd uidelicet nullo ſenſu, ſed duntaxat intelligendo percipiatur)* Naturam, *& principium eſſe, & per ſe ingenerabile quiddam atq; incompoſitum.* Alioqui *enim non eſſet principium, ſi compoſitum ex elementis, aut alijs quibuſdam principijs conſtitutum eſſet.* At *craſin omnem ex elementis compoſitam qualitatem eſſe, uel compoſitione primarum qualitatum ſeu mixtione generatum quiddam eſſe, ipſa definitione craſews manifeſtum eſt, ut hac ratione craſis* λόγος *& principium nullo modo eſſe aut dici poßit, præterea, mixtio primarum qualitatum cùm ſit ſuapte natura incerta &* ἀόριστος, *principium & cauſam requirunt mixtiones determinantem, quæ cauſa, non erit craſis ipſa, ex multis mixtis.* Vnam *ſpeciem quandam efficiens, ut quæ, propter compoſitionem, non poßit eſſe principium, ut paulò ante fuit dictum, quamobrem ex neceßitate principium craſews eſſe oportebit,* λόγον, *& naturam, nempe formam ſubſtantialem,*

Craſis nõ eſt forma & eſſentia rei Naturalis inanimæ.

*tialem, determinando infinitatem mixtionis, & hac deter minatione, naturæ ipſi conuenientes primarum qualitatum producendo craſes & temperaturas, & ex primis étiam, producendo ſecundas, nec non etiam tertias, & cum his proprias quaſdam & occultas facultates, ſeu qualitates, quæ proxime à forma ſubſtantiali abeſſe uideantur.* Nã *propriorum παθῶν ſeu δυνάμεων, principium exiſtit & cauſa forma ipſa & eſſentia rei, quam* Phyſici *potiorem* Naturam *appellant.* Quamobrem *ſi ſua quædam craſis ineſt exanimatæ carni, item cerebro, cordi, membranis, neruis, naturã quoq; ſuam & λόγον συμφύσεως ipſis ineſſe oportebit, quo nimirum qualitates hæ ſint determinatæ propter naturam formalem ſcilicet determinãtem eas, tametſi non ſine temperamentis (ut cauſis, ſine quibus non) naturas, plaſticæ facultates aut* Cœleſtium *corporum, aut in his caducis animatis, ſeminales & ſpermaticæ δυνάμεις, formas naturales ſimilarium producant.* Verùm *reprehenſione dignum eſt, quòd ferè ſemper ueteres* Phyſici, *cauſas, ſine quibus non fit aliquid, ut primas, & præcipuas habuerint, ut* Empedocles, Mixtionem, & Empedoclei *iſti noui noſtrates, craſin, arbitrantur eſſe οὐσίαν inanimatæ rei.* Tametſi *nõnunquã ipſa* Veritas *(ut ſcribit* Ariſtoteles*)* Em*pedoclem coëgerit fateri, ut nõ craſei, ſed τῷ λόγῳ τῆς οὐσίας, carnem, os, neruum, membranam, ſubſiſtere inuitus confiteretur, aut oblitus eius, quod prius ſenſerat ſeipſum negaret.* Ariſtoteles *libro primo* Metaphy: *circa finem ignorantiam formalis, ſeu naturalis cauſæ his uerbis* Empedo*cli exprobrat.* Ἐπεὶ καὶ Ἐμπεδοκλῆς ὀστοῦν τῷ λόγῳ φησὶν εἶναι, τοῦτο δέ ἐστιν, τὸ τί ἦν εἶναι, καὶ ἡ οὐσία τοῦ πράγματος. Ἀλλὰ μὴν καὶ ὁμοίως ἀναγκαῖον, καὶ σαρκὸς, καὶ τῶν ἄλ-

λων ἕκαστον εἶναι τὸν λόγον, ἢ μηδὲ ἕν (εἶναι) Διὰ τοῦτο γὰρ, καὶ Σὰρξ, καὶ ὀστοῦν ἐστί, καὶ τῶν ἄλλων ἕκαστον, καὶ οὐ διὰ τὴν ὕλην, ἣν ἐκεῖνος (Ἐμπεδοκλῆς) λέγει Πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ, καὶ ἀέρα. Ἀλλὰ καὶ ταῦτα ἄλλου λέγοντος μὲν, συνέφησεν ἂν ἐξ ἀνάγκης, σαφῶς δὲ οὐκ εἴρηκεν. Ex his quæ diximus, perſpicuum eſt, mixtione perfecta productas res temperamentis, eſſe οὐσίας, non quòd temperamenta ſint earum οὐσία, ſed quòd ſint cauſæ, ſine quibus non poßint eſſe οὐσίαι & naturæ rerum. Quin etiam quòd craſis non ſit λόγος ipſa, ſeu forma, Syllogiſmo hoc nequaquam concluditur. Omni forma ſalua, res quoq; ipſa incorrupta manet. Et Omni temperamento ſaluo, res incorrupta manet. Ergo. Temperamentum ſeu craſis, eſt ipſa forma naturalis. Nam ambabus affirmantibus præmißis in Secunda figura ut Aſyllogiſto, nihil concluditur. Efficiens autem omnium naturalium corporum cauſa eſt Animatum corpus. Nam ſi Animata ſint, omnino neceſſe eſt, ut ab Animatis generentur. Sed inanimorum, efficiens & generans cauſa eſt cœlum, quód ipſum Animatum eſſe, & gubernari à ſeparata Mente, ſummi philoſophi Plato & Ariſtoteles teſtantur, & Ariſtoteles in Metaphy : à uita, & Mente ſeu Anima cœleſti dependere cœlum & uniuerſam naturam rerum, ſcribit. Temperamentum porrò Animatorum corporum hactenus ἔμφυτον, ſed Naturalium, & uacantium anima, σύμφυτον calorem nomino. Ἐμφύτῳ autem præditum, neceſſe eſt ut συμφύτῳ etiam calore ſit præditum, ſed non contra. At quòd συμφύτῳ calore ſubſtantia naturalis conſtituatur, quæ ſine forma, quam Philoſophi appellant λόγον, eſſe nequeat, docet Ariſtoteles libro quarto Meteoron. Illo temperamento Ariſtoteles ἁπλῶς generari quid-

piam

*piam, nempe ſecundum ſubſtantiam, quæ definitur φύσει, & illo temperamento perempto per putredinem, κατὰ φύσιν etiam ἁπλῶς, id eſt, ratione ſubſtantiæ ſuæ, corrumpi res naturales ſcribit. Quod autem hactenus nos σύμφυτον, id ipſe commemorato in libro, οἰκεῖον θερμὸν appellat. Si quæ præterea ſunt ſtudioſus lector ex* Ariſtotele *requirat, nam his in præſentia quæ ab* Ariſtotele *ſcribuntur, ut præcognitis utimur, & tranſcribendo multas paginas implere nolumus, breuitatis ſtudioſi. Calidum, & frigidum, ſunt* δυνάμεις *elementorum actiuæ, quibus uariè temperatis omnes res naturales* ἁπλῶς *generari manifeſtiſsimum ſit, quoad ijs (ut* Ariſtoteles *loquitur)* συμφύεται καὶ μεταβάλλεται τὰ ὁμογενῆ, καὶ μὴ ὁμογενῆ, καθάπερ ὁ ελ[ι]ζόμενα καὶ πάσχοντα. *Indefinitæ autem ſuapte natura qualitates & craſes naturarum* τοῖς λόγοις *ex neceſsitate definiuntur, ut craſis carnis, non niſi* τῷ λόγῳ, *id eſt natura carnis determinatur, & craſis ligni, aut fructus in* Quercu *non niſi natura &* λόγῳ *utriuſque definitur, ut planè demens ſit qui ex indefinitis qualitatibus compoſitas craſes, ipſas à ſeipſis definiri opinetur, & per ſe formas & naturas rerum eſſe exiſtimet, quum multitudo omnis per ſe unum, nempe* οὐσίαν, *non conſtituat ſine principio quod ſimpliciſsimum ſit, & ex partibus nullis conſtitutum, ut* λόγος, *& forma eſt rerum naturalium ſubſtantialis.* Hæc omnia dicuntur *& diſputantur hactenus à me propter nouos* Empedocleos, *qui* φύσιν, *&* οὐσίαν *rerum inanimatarū nihil aliud eſſe dicūt, quam* κρᾶσιν, καὶ μίξιν, διάλλαξιν τε μιγέντων *His, quæ diximus, manifeſtum eſt, in rebus naturalibus mixtis naturam & craſim quaſi operas mutuas tradere, quum ſeparatim eſſe non poſsint. Imperfectè autem mixta illa dicuntur,*

ὁμογενῆ miſcētur, vt calida frigidis, quæ ſunt Actiuæ qualitates. At patientes qualitates, ut ſiccū & humidum, reſpectu Agentium, non ſunt ὁμογενῆ

*quæ mixtura ſua nullam formam ſubſtantialem aſſequuntur, ut terra, mixta cum aqua, ut lutum eſt, aut mare, propter ſalſum ſaporem, plus perfectionis habet Argilla, ut naturæ cuiuſdam alterius iam particeps uideatur, & multo magis lemnia quaſi terra, aut bolus Armenia. De gradibus naturarum ſupra diximus, qui ſint intra perfectiſsimum λόγον, & infimam atq; primam materiam. Quo manifeſtum eſt, aliam naturam eſſe corporum, quæ ſubijciantur informationi Animæ & aliam, quæ ſeparatim ſeipſis animæ expertia ſubſiſtant, ut ſimilares partes animatorũ, quoad organicam eſſentiam φυσικῆς συνεχείας amiſerunt. oculus enim erutus, & brachium amputatum non niſi æquiuocè dicuntur eſſe, definiuntur enim omnes organicæ partes ſuis actionibus & energijs quas ipſis ſolet & poteſt præſtare animatum corpus, quarum deſcriptio eſt apud Galenum in libris de uſu partium. Sed natura, quæ propter σύμφυσιν elementorum ſimilaribus ineſt corporibus, quæ corpora (in Animatis) plaſtica facultas non minus generat, quàm organica, cauſa eſt formalis, partim quorundam Accidentium communium, ut colorum, ſaporum, odorum, figurarum, tactilium ſecundarum qualitatum, ut mollitiei, duritiei, & quòd in fibras, quædam, alia uero non poſſunt diuidi. Determinat tales qualitates in materia mixtorum forma & λόγος οὐσιώδης inſtrumento primarum qualitatum. Notum enim eſt quomodo differant accidentibus inter ſe partes ſimilares animalium, quas natura propter organicas architectata eſt, in quibus alioqui non multæ aut uariæ inſunt δυνάμεις, quas aut in Medico uſu experiamur utiles eſſe, aut agendi uel patiendi ui quadã præditas reſpectu cuiuſdam alterius, propter ἀντιπάθειαν, quibus*

*bus phyſicas hiſtorias refertas eſſe ſcimus.* Plurimæ tales *Δυνάμεις ſunt in ſtirpibus & earum partibus, & præſertim eo tempore, quo propter maturitatem uegetari & uiuere deſinunt.* Viuæ enim ſtirpes non conducunt, ſed mortuæ proſunt nobis. Alia in his natura eſt propter quam anima uegetatrice informantur, nutriuntur & adoleſcunt, & alia eſt, quæ cauſa ſit ut orbatæ uita, tam ſalubres & mirabiles uires & *Δυνάμεις* habeant, ut exiſtimandum ſit eas ob hanc cauſam uiuere, ut mortuæ prodeſſe nobis poſſint. Ergo in Vuis, pomis, frumentis, uino, oleo, naturam ineſſe negabimus, ſed craſin duntaxat elementorum, formam, & *λόγον* ipſorum ſtatuemus, quando maturitate ad terminum uitæ deducta uegetari & creſcere deſierint? An non generans & efficiens rerum naturalium cauſa, craſi elementorum, tanquam inſtrumento utitur ad res naturales generandas, ut neceſſe ſit aliud eſſe, quod, & aliud, quo, naſcitur quidpiam? Quod naſcitur, res & ſubſtantia naturalis eſt, quam à natura (quæ eſt *λόγος*) ſic appellari nemo ignorat niſi in phyſicis ſit plumbeus. Sed naturam ſeu formam, principium eſſe, nemini erudito dubium eſt. non minus controuerſia caret, principium, omne ſimplex & incompoſitum eſſe, ut pro indubitato etiam habetur, omnem craſin, ex quibuſdam eſſe compoſitam, & definitioni naturæ eſſe ſubiectam. Differunt craſes naturales, à non naturalibus ut craſis naturalis Vini, ab ea, craſi qua caupo fallax aquam uino miſcet, aut qua medicus Vinum cum melle. Vini mixtionem in uua naturalis *λόγος* temperat, medicas mixtiones non interna, ſed externa cauſa temperat, ut artificis *λόγος*, & ob id craſes illæ dicuntur eſſe non naturales, quoniam his non unum *ἐϊδος*, ſed tantū

*per accidens unum conſtituitur, quum ſubſtantiæ duabus naturis, id eſt, materia & forma conſtituantur.* In abſynthio igitur, & radice Rabarbari mortuis, *ut craſis, ita quoq; natura ineſt, & natura, uel occultis & proprijs* δυνάμεσι, *quæ naturali rei propter formam inſunt, operatur, ut quòd* Rhabarbarum *bilem, & pituitam purgat. uel manifeſtis qualitatibus, quæ propter materiam, & qualitates primas in re naturali generantur, inſunt, ut ſapores, odores, ut abſynthio amaritudo, non qualis in centaurio eſt, aut colocynthide, ſed qualis naturæ abſynthij* οἰκεῖα *eſt & uernacula.* In opio occulta eſt refrigerandi *uis, in lactuca ſimiliter, & in folijs ſalicum, ſed ſua, cuique naturæ reſpondens.* Has δυνάμεις *naturæ ipſæ & formæ ſtirpium ingenerant, non tamen ſine inſtrumento temperamentorum.* Propter temperamentum *materiæ & elementorum, amaritudo, ineſt opio, & acrimonia camphoræ, communes qualitates ſunt ſecundæ, quibus non ſemper diſtinguenda uiribus ſunt medicamenta.* Per ſe enim utriſq; *his qualitatibus calefaciendi uis adſcribitur, ſi craſin conſideres, ſed à forma, facultatem aliam habent, & occultam* δύναμιν, *qua inſigniter refrigerare poſſunt corpus, quæ* δυνάμεις, *ut propria* πάθη, *propter formas rebus naturalibus ineſſe dicuntur, tametſi abſque craſi elementorum generari nequeant.* Sic autem *refrigerant, ut* Saturnus *refrigerare dicitur, nempe* δυνάμει, *ſubſtantiali & non actu frigoris, qui actus conſubſtantialis ipſis non eſt, ut eſt aquæ, frigus.* Hæc enim δύναμις *ſi non ſit in lactuca aut opio, aut pipere, aut* Euphorbio, *non amplius id ſunt, quod eſſe dicuntur.* Ab *actionibus, & paſſionibus proprijs,* δυνάμεις *cognoſcimus, & per* δυνάμεις, *apprehendimus* οὐσίας.

Oculus

Oculus enim qui deſtituitur potentia uidendi , non niſi æquiuocè oculus appellatur, & opium quod non poteſt refrigerare , pro opio non debet haberi, & Rhabarbarum quod uim nullam habet purgandi , Rhabarbarum non eſt dicendum. Propria enim πάθη ſeu δυνάμεις ſunt inſeparabiles à ſuis ſubiectis, quorum propriorum neceſſe eſt ut natura ſit cauſa, uel formæ , uel materiæ , de quo monemur in analyticis. Ex his quæ diximus hactenus, ſatis ſuperque liquet ea, quæ συμφύσει ſint unum τῷ λόγῳ & οὐσίᾳ eſſe alquid unum, & non tamen craſei elementorum , ut nouis uideatur Empedocleis , qui cenſent dumtaxat animata corpora forma ſubſtantiali eſſe prædita, in cœteris craſin & naturam, magno errore , idem eſſe arbitrantur. Hactenus quid ἔμψυχον, quid ἔμφυτον, quid σύμφυτον, quid complexionis cauſa calidum ſit appellandum eruditis in philoſophia lectoribus ſatis ſuperque planè & perſpicuè expoſitum eſſe arbitror.

# VENOSVM GENVS ESSE PRIMVM ET PER SE Inſtrumentum generationis ſanguinis & non Carnem Iocinoris.

IACO-

# IACOBI SCHEGKII SCHORNDORFFENſis Liber de primo Inſtrumento αἱματοποιήσεως ſeu Sanguificationis.

*Sanguineus humor, cùm ſit materia generationis partium ſimilarium in animalis corpore ſanguinearum, nec non etiam nutricationis, & ex eodem ſpermaticus etiam & genitalis humor generetur: qui materia eſt albicantium & ſpermaticarum partium, quonam primario inſtrumento, tanquam efficiente cauſa, ſanguis ipſe generetur dubitatum apud ueteres philoſophos &* Medicos *fuit. Quòd ex cibo & potu fiat chylus, & quòd ex chylo generetur ſanguis, nulla controuerſia fuit ambiguum. Et quanquam ſcio quàm difficile ſit contra probatas uulgo & receptas opiniones diſputare, nihilominus ad officium philoſophi pertinere ſum arbitratus, poſt habito conſenſu eorum qui publicum errorem lubricis & fallacibus argumentis defendunt, ueris & genuinis cauſis, quibus generatur ſanguis, expoſitis, aliena à uero diſſerentibus diſputando me opponere.* Pluris *enim ueritatem philoſophi; quàm gratiā & fauorem & conſenſum hominum faciunt, nec quàm à multis dicatur aliquid, ſed quàm uerè dicatur, conſiderantes.* De *ſanguinis porrò officina tria ſunt opinionum diuortia.* Receptiſſima *inter* Medicos *eſt, qua ſtatuunt, carnem iocinoris primum inſtrumentum eſſe quo generetur à chy-*

lo ſanguis. Altera eſt Ariſtotelis, qui in cauo receptaculo cordis cenſet generari ſanguinem. Tertia, eorum qui uenoſum genus ad generandum ſanguinem à natura conſtitutum eſſe arbitrantur. Harum opinionum mentionem facit Galenus libro 6. de placitis Hipp. & Platonis, Ariſtotelis ſententiam acriter refellendo (quam & nos etiam non probamus) ſuam tuetur Galenus & Hippocratis, qua adſcribitur hepati αἱματοποίησις, & ut nullis ueris refellit horum opinionem, qui eam tranſcribuut uenoſo generi, ſic ſuam tam infirmis & parum conſentaneis aſtruit argumentis interdum, ut Analyticorum & Apodicticorum præceptorum nullam habuiſſe rationem uideatur. Quod ipſum ne per calumniam quis dictum, aut iniuria quadam à me Galenum affici exiſtimet, ueritate huius diſputationis facile (ut opinor) conſequar qua monſtrabo, non carnem Iocinoris, ſed uenoſum genus efficientiæ ſanguinis primam eſſe cauſam, & neq; Ariſtotelis, neq; Galeni, neq; Veſalij probandam eſſe ſententiam, ut qui non tantum à uero, ſed ipſi etiam inter ſe, & ipſe etiam quiſq; à ſeipſo diſſentire uideatur. De prima & immediata cauſa efficiente & generante ſanguinem quæritur. Nos generandi ſanguinis primariam facultatem adſcribimus uenis & arterijs, quibus, tanquam proprijs uaſis, continetur ſanguineus humor. Chylum autem ultimam eſſe & ἄμεσον materiam ex qua ſanguis generetur, conſtat inter omnes. Mixtus autem ſanguis cùm ſit ex quatuor humorum differentijs (ex his unus eſt, nempe ſecundum naturam habens pituita, quæ aut chylus eſt, aut frigidior pars chyli, ut cui ſit opus diuturniore alteratione, ut ex ea generetur ſanguis quam maiori parti maſſæ chyli. In maſſa autem chyli diſsimiles ineſſe partes

*tes materiæ, ex ipſis generatis humoribus manifeſtum eſt, nota autem ſunt humorum generatorum diſcrimina. Et ſecundum has differentias, ciborum quoq; & alimentorum, quibus generatur chylus, deſcribuntur diſcrimina. Sed hæc omnia, ad uiuum reſecare (ut dicitur) non eſt præſentis inſtituti, hoc enim dumtaxat uolumus nobis concedi, tanquam principium quoddam propoſitæ demonſtrationis, primum ſcilicet & ἄμεσον generationis ſanguinis ſubiectum eſſe chylum. In deſcribendis porro cauſis rerum naturaliũ conſideranda ſunt immediata & ἀκρότατα αἴτια, ut quidnam ſit, ex quo primo generetur ſanguis, & quodnam primum ſit ipſius efficiens. Complexu plurium cauſarum, quodque genus cauſæ, differentium ſecundum prius & poſterius, quodammodo conſtituitur, ut ſol, &* Homo, *cauſa efficiens hominis dicuntur eſſe, &* Homo *non immediata eſt, ſed ſemen: & ſemen propter plaſticam facultatem, plaſtica autem facultas, non propter aliud dicitur generare. Et hoc eſt quod* Ariſto: *admonet libro. 2. Phyſicorum.* Δεῖ δ' ἀεὶ τὸ αἴτιον ἑκάστου τὸ ἀκρότατον ζητεῖν. *Quod de* Efficiente, *idipſum de materiali quoq; cauſa, & reliquis intelligi oportet, quoniam ut inquit* Ariſto: *lib.* 11. *Metaphy:* Δεῖ τὰ ἐγγύτατα αἴτια λέγειν. τίς ἡ ὕλη; μὴ πῦρ ἢ γῆν, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν. Περὶ μὲν οὖν τὰς φυσικὰς οὐσίας καὶ γεννητὰς ἀνάγκη οὕτως μετιέναι, εἴτις μέτεισιν ὀρθῶς. *In* Efficientibus *autem, reſpectu eorum, quæ fiunt, & alterantur, neceſſarius eſt* Contactus, *ſine quo, ut* Ariſto: *ſcribit libro priore de ortu &* Interitu, *nulla poteſt eſſe* Actio, *& paſſio.* Διὸ, *inquit* Ariſto: *lib.* 6. Metaphy: ἢ συμπέφυκεν, οὐδὲν πάσχει αὐτὸ, ὑφ' αὑτοῦ, *ut neceſſe ſit omnem facultatem, mutantem aliquid, eſſe in alio quodam, quatenus ſit* Aliud, *ſiquidem*

Ariſto: lib. 2. Phyſicorum.

*quidem Phyſica δύναμις omnis ſit ἀρχὴ μεταβολῆς ἐν ἄλλῳ, ᾗ ἄλλο. Acquiſito enim habitu potentia deſinit agendi & patiendi. Quin etiam Efficientium ſeu agentium diſcrimen illud internoſcendum quoad nimirum quædam, ut ὁμοειδῆ, efficiunt aliquid ſibi ſimile in ſpecie ut ſi ignis, generat ignem, aut Homo, hominem, aut ſi caro generet ex ſanguine carnem, aut os, ſpeciem oſſeam. Alia ſunt & dicuntur Efficientia κατ' ἐντελέχειαν, ut quando agentis forma à ſpecie effectus diſcrepat, ut ſi ſol, ignem generet, aut cœleſti uirtute metalla, aut beſtiolæ quædam, uel ſtirpes generantur, aut ſi chylus generetur à uentriculo, aut ſanguis ſi generetur à uenis. Huiuſmodi agentia, quidam appellant, æquiuoca. In Efficientibus κατ' ἐντελέχειαν, omnino perfectius eius ſecundum ſubſtantiam erit quiddam Efficiens quàm effectus ipſi, quoad uidelicet principalis, & non inſtrumentalis fuerit cauſa generati effectus. Quo in genere, Efficiens nobilius & perfectius quiddam erit eſſentia effectus, ut Cœlum eſt, reſpectu caducarum ſubſtantiarum, & creaturæ omnes, reſpectu creatoris, & ſubſtantiæ, reſpectu accidentium. In Efficientibus & Effectis quoad genere ſubſtantiæ continentur, aut ὁμοειδῆ, aut ὁμογενῆ quædam erunt quod Efficit, & quod Efficitur. Omnino enim neceſſe eſt ut ſubſtantia efficiens cauſa ſit ſubſtantiæ. Quoad uerò Effectus ſunt accidentia, tum neceſſe non eſt ut efficiens, reſpectu effectus, aut ὁμοειδὲς, aut ὁμογενὲς quiddam exiſtat. Vt ut anima, efficiens cauſa adoleſcentis corporis, ipſa tamen expers incrementi eſt, cùm uidelicet quantitate nulla ſit prædita. Et Cœlum qualitates in his inferioribus uarias generans ipſum tamen prorſus nullis huiuſmodi qualitatibus eſt præditum, ut hac*

Differentia hæc eſt apud Ariſto: lib. i. de ortu, & interitu.

*ratione ſecundum genus, idem Efficiens, & patiens quidpiam nõ ſit dicendum. Aut ſi interdum genus ſit idem, non tamen ſpecies eadem erit, ut ſi quid ſiccari dicatur calore, cùm tamen ſiccitas & calor differant ſpecie. Quod dicimus Ariſto: lib. 7. Metaphy: his expreßit uerbis.* ἴδιον τῆς οὐσίας ἐκ τούτων λαβεῖν ἐστίν, ὅτι ἀνάγκη προϋπάρχειν ἀεὶ ἑτέραν οὐσίαν ἐντελεχείᾳ οὖσαν ἣ ποιεῖ, οἷον ζῷον, εἰ γίνεται ζῷον. ποιὸν δὲ, ἢ ποσὸν, οὐκ ἀνάγκη· ἀλλ' ἢ δυνάμει μόνον. *His omnibus quaſi præcognitis & principijs demonſtrandum nobis erit uenas in animalibus eſſe principale efficiens ſanguinis, & non carnem Iocinoris, ut* Galeno *aut plæriſq; uel cor ipſum, ut* Ariſtoteli *uiſum fuit. Ac primùm quidem, quòd uentriculus ex alimentis intra ſe confectis & concoctis alteratiſq; generet chylum, id eſt, ſuccum quendam albicantem, ex quo poſtea, tanquam materia, generetur ſanguis, pro confeſſo habetur apud omnes. Eodem imbutus uentriculus ſaciatur hoc modo ut depulſa fame, cibi, ſeu alimentorum non ſit amplius appetens. An chylo nutriatur etiam uentriculus dubitatur à quibuſdam. Galenus, libro tertio de facultatibus naturalibus, & libro ſexto de placitis* Hippocratis *&* Platonis *apertè teſtatur, chylo uẽtriculum non modo ſatiari, ſed etiam nutriri, dum chylus alterando mutetur in ſimilem uentriculo ipſi ſubſtantiam. Quod ipſum an conſentaneum uero ſit, alio loco conſiderabimus. Idem libro. 6. Anatomicarum aggreßionum ſcribit uentriculum nutriri non chylo, ſed ſanguine, per uenas quaſdam à uena caua propagatas, & per uentriculi corpus diſperſas. Veſalius ſummus Anatomicus negat uentriculo ullas à caua uena propagatas uenas communicari, ut hoc loco Galenus princeps Medicorum, non tantum à Veſalio:*

*ſed etiam à ſeipſo diſsidere uideatur. Certum & indubitatum eſt organa uegetatricis animæ, ut ſpecie ſubſtantiæ, ita quoq; Energijs & actionibus inter ſe diſcrepare. Operationes enim ſequuntur potentias , & ſubſtantiæ differunt inter ſe potentijs, quoniam ut* Galenus *inquit lib.* 7. *de placitis* Hippo. & Plato, αἱ γὰρ τῶν οὐσιῶν ἰδιότητες οἰκείας ἑαυταῖς ἔχουσι καὶ τὰς τῶν δυνάμεων ἰδιότητας. *Quæritur ergo quodnam proprium ſit uentriculi officium , & quod nulli alij parti poſsit adſcribi uegetatricis ſcilicet animæ exiſtens organon: Vnum ſcilicet illud eſt ut alterando chylum conficiat, quo ut oblectamento ſacietur imbutus, & nõ ut nutrimento reficiatur. Deinde uenarum & arteriarum propriam actionem dicimus eſſe , ut chylum intra ſe ſuctu naturali receptum alterando mutent in ſanguineum humorem, & eundem intra ſe poſitum & contentum integrum & incorruptum ſeruent , & ad omnes partes nutriendas tranſmittant diffundantq; per uniuerſum corpus. At carnis iocinoris propria hæc eſt utilitas, & uis ipſius peculiaris ut ipſius quaſi medio coniugio copularentur primæ, & ſecundæ uenæ, propter tranſitionem ſcilicet & traiectum ſanguinis ex primis uenis in ſecundas uenas. Vſus alter eſt, ut diffuſus per innumeras minutas uenulas in carne iocinoris diſperſas, alteratione* παρεγχύματος *perfectior fieret, nõ ut illic ex nõ ſanguine, id eſt, ex chylo generetur ſanguis, ſed ut ex imperfectiore fieret elaboratior & nutriendo reliquo corpori magis idoneus. Tertius uſus, ut per diſperſas uenas ſic diffuſo ſanguine è minutiſsimis quaſi riuulis, flauæ bilis* περίττωμα *in ueſica bilis cõmodius colligeretur, alio meatu quodam eructans ipſam poſtea in duodenum inteſtinum , poſt autem purior ſanguis in cauam uenam per*

gibba

gibba iocinoris influeret. Negat Ariſto: lib. 3. de partibus animal: Hepar cauſam efficientem eſſe ſanguinis, cordi adſcribens principatum, & uenas item non ex hepate naſci & propagari, ſed inſinuari in hepar potius uenas, & in ipſum ingredi eas, ὅτι τείνει δὶ αὐτȣ̃ φλέψ, ἐξ ἐκείνȣ δὲ ȣ̓δεμία. Item, quòd ſanguis intra hepar uenis incluſus contineatur, non autem ipſa carne Hepatis ſit ἀμέσως incluſus, quòd uidelicet omnis actio & paſsio, non niſi immediatè ſe mutuò tangentium eſſe poſsit. At ſanguineum humorem non niſi uenis contineri manifeſtum eſt. Quo magis eſt mirum Ariſtotelem ſanguificam uim non adſcripſiſſe uenis, his, quas ipſemet affert rationibus perſuaſus. Dubitationem autem nullam habet quòd chylus in cordis cauo non conuertatur in ſanguinem, ſed quòd in ipſum ſanguis infundatur ex caua ſeu magna uena, αὐτοψίᾳ Anatomica manifeſtum eſt. Itaq; Ariſtoteles contra ſua præcepta Analytica peccans, alienis & non proprijs argumentis uſus eſt, dum probat, cor eſſe primam ſanguinis effectricem cauſam. Rationes ueræ interdum uidentur cum rationibus ueris pugnare, communes ſcilicet, cum proprijs, & uernaculæ, cum alienis. In Phyſicis autem nullis ad demonſtrandum rationibus eſt utendum prius, quàm φαινόμενα omnia demonſtrabilis rei explorata & cognita habueris, ut quibus omnibus apodicticæ rationes & cauſæ quadrare debeant, quandoquidem φαινόμενα ſint quaſi menſura ueritatis demonſtrantium argumentorum, qua diſcrimen etiam naſcitur τῶν οἰκείων, καὶ τῶν ἀλλοτρίων λόγων, & ijſdem differunt etiam inter ſe Eruditi ab Ineruditis, Philoſophi, à non philoſophis. Methodus hæc dijudicandi principia Demonſtrationum deſcripta ab ipſo Ariſtotele eſt, quam tamen ipſe præ-

ſe præuaricatus ſit, dum loco uernaculorum, communibus utitur multorum argumentis, ſed propoſito tamen non congruentibus. Aliud ergo eſt quod reprehenditur in Ariſtotele & aliud, quod laudatur. Factum & exemplum uituperatur, conſilium & præceptum laudatur, quando libro primo Ethicorum ad Eudemum, ad hunc modum ſcriptum reliquit. καλῶς δ᾽ ἔχει καὶ τὸ χωρὶς κρίνειν τὸν τῆς αἰτίας λόγον, καὶ τὸ δεικνύμενον, ὅτι προσέχειν οὐ δεῖ πάντα τοῖς διὰ τῶν λόγων, ἀλλὰ πολλάκις μᾶλλον τοῖς φαινομένοις. Poteſt ergo fieri ut uerum ſit aliquid, ſed quod tamen ipſum propoſito non quadret, aut quod non in uniuerſum ſit uerum. cuiuſmodi rationes Ariſto. libro ſecundo de generatione animal. logicas, communes, & alienas, & inanes, ideſt, nullam uim ad probandum habentes, appellat. talibus uſi ueteres Phyſici paſſim reprehenduntur ab Ariſtotele. Horum tamen fallacium & alienorum ſeu logicorum principiorum, quæ diſtinguit ipſe contra phyſica principia & οἰκεῖα, cauſa fuiſſe dicitur, quòd ueteres phyſici minus accuratè, quæ propriè accidunt rebus naturalibus, nempe φαινόμενα ipſa, ſeu, ut ipſe appellat libro priore de ortu & interitu, ὑπάρχοντα conſiderarint, & ad pauca reſpicientes, è triuio, ut dicitur, arreptis rationibus communibus & logicis uſi fuerunt, quibus tamen ὑπάρχοντα φυσικῶς nequeunt demonſtrari. διὸ δ᾽ ἐκ τῶν πολλῶν λόγων, ἀθεώρητοι τῶν ὑπαρχόντων ὄντες, πρὸς ὀλίγα ἐπιβλέψαντες, ἀποφαίνονται ῥᾷον. Incauti, inquit, & inconſiderati ſunt qui pro cauſis afferunt rationes quaſdam communes, & quæ multis alijs poßint etiam applicari, quas ipſe aliàs καθόλου, & logicas appellat, ἀντιδιῃρημένοι ſcilicet τοῖς οἰκείοις λόγοις, ſed obſcurius in præſentia nominat

*nat, λέγει, nõ οἰκεῖος, ſed τῶν πολλῶν πραγμάτων commu-nes (cõmunitate enim & proprietate, logica & vernacula diſtinguũtur) & quibus ad demonſtranda ὑπάρχοντα appoſitè quis non poßit vti, & quorum facultas etiam facilè conſpicitur καὶ ῥᾷον ἀποφαίνεται, quando deprehendũtur nõ congruere τοῖς φαινομένοις. Itaque non minus Galenus quàm Ariſtoteles logico argumento & communi fuit deceptus, ſed prius quomodo Ariſto. ſit hallucinatus conſiderandũ eſt. deinde de falſis poſtulatis Galeni differemus. Ariſtoteles hoc tanquã verò principio utitur nempe ut imperfecto animali ſit Anima vna, ita partib. & organis ſeu inſtrumẽtis multifariã diſcrepãtib. vti, quib. Animal vegetatur: & quibus ſentit ac mouetur, inq; his unũ & principale quoddã eſſe organon in quo omnis principatus vitæ inſit. Nam vt Ariſto. inquit libro 5. de Generat. animalium, τοῦτο γάρ ἐςί τὸ Αρχὴν εἶναι τὸ αὐτὴν μὲν αἰτίαν εἶναι πολλῶν. principatũ animæ uerò & Vegetatricis & Sentiẽtis, mouentiſque collocat Ariſtoteles in corde, ſcribit, quod videlicet in vno non niſi vnum ſit principale inſtrumentum, cui ſubſeruiant reliqua omnia ſuis officijs naturali obedientia, vt docet in libro de Motu Animal. & lib. 3 de partib. Animal. Omnia porro vegetari & viuere & nutriri ſanguine ſiquidem ἔναιμα fuerint, quod autem ſanguinem generet, Cor eſſe, & ex corde Venas propagari, quib. ſanguineus humor tanquam per canales diffundatur. Non opinor eſſe neceſſarium omnia recenſere argumenta Ariſtotelis quibus attribuit αἱματοποιητικὴν δύναμιν cordi, quæ partim Logica ſunt & ἀλλότρια, partim cũ Anatomicis Theorematis pugnãt (Anatomiæ enim non fuit peritißimus et in medio ſunt libri ipſius, Galeniq; reprehẽſiones in*

*ſexto libro de placitis* Hippo. *&* Platonis, *quibus propoſitum ipſius refellitur accuratè.* Ergo Cor, *efficiens ſanguinis primum inſtrumentũ eſſe, nulla ratione defendi poterit. In corde principatũ ineſſe calidi & humidi natiui uitalisq́; nos cum* Ariſtotele *&* Galeno *reliquisq́; omnibus confitemur. At ſenſus motusq́; principatum in cerebro eſſe* Anatomiæ *fidem habentes credimus.* Præter Cor, *&* Cerebrum, Tertium *principale organum* Galenus *ſtatuit eſſe,* Hepar, *cuius nimirum caro facultatem habeat, vt ex chylo poßit facere ſanguinem, & quòd uenæ ex illo uiſcere enaſcantur; ut* Arteria *ex corde, & ut* Nerui *à cerebro propagentur, à quo uim ſentiendi & mouendi adipiſcantur facultatẽ.* De argumentis Galeni, *quibus fretus* αἱματοποιητικὴν δύναμιν *carni* Iocinoris *adſcribit, poſtea diſputabimus, iã quid nobis de facultate hac uideatur, explanare conabimur.* Venas *non propagari ex carne Iocinoris, tanquam principio quodam ſubſtantiæ rerum, ſed quòd ipſæ per ſe, & ſeipſis ſint principium, & quòd ijſdem etiam ut materiam ſuppeditantibus, caro* Iocinoris, *tanquam* παρέγχυμα *quoddam circunfundatur per plaſticam facultatem, non obſcuris argumentis demonſtrabimus deinceps.* Anatomia *notißimum eſt: è ſanguine, & ſpermate (ut materia) partes cum ſimilares, tum organicas generari initio, ac primas ex omnibus eſſe* Venas *& arterias, &* Neruos, *quibus tribus, tanquam principijs cætera omnia adnaſcuntur, ſeu quaſi poſterius naſci dicuntur, hac ratione manifeſtum eſt.* In omnibus alijs partibus, *vt carnibus, membranis, uiſcerũ carnibus in uniuerſa cute & oßibus inſunt, venæ, arteriæ, & nerui, vt harum partium reliquarum partium ſubſtantiæ quaſi* παρεγχύ-

μα τα

*μετα uideantur eſſe.* Nam in omnibus inſunt *uenæ, arteriæ & nerui, ut his tanquam ſtaminibus aliæ ſubſtantiæ, ut ſubtegmen attextæ quodammodo uideantur eſſe παραφυάδες.* Etenim non etiam conſentaneum non eſt, *ſed impoßibile etiam uideatur eſſe, ut partes modò nominatæ in partes has ſolidas ſubeant, ut uenæ ſcilicet* Arteriæ & Nerui *carnis prius factam ſubſtantiam ſubeant & penetrent, aut membranis generatis, poſterius inſerātur, aut ut prius exiſtente carne iocinoris, poſterius ex ipſa, (ut frondes in arboribus) generatione quadam producantur venæ, ut earum quaſi principium uideatur eſſe Caro ipſa iocinoris.* Quo *manifeſtum eſt,* Venas, *reſpectu carnis iocinoris, non ut ἐπιπεφυκὸς quoddā eſſe, ſed carnem illam, reſpectu uenarum à porta propagatarum optimo iure προσπεφυκὸς quiddam appellari, & uenas ipſas per ſe principium eſſe & eas non alio quodam principio propagari, ut* Arteriam *aut* Neruos. *De uena caua quod non propagetur ex* Hepate, *poſterius diſſeremus.* Venis & Arterijs *è ſpermatica materia nibil prius generatur, quod ijs ſcilicet canalibus ſanguis defluat, quibus ſanguineæ partes, ſeu carniformes generentur.* Aliæ *omnes generantur è ſpermatica materia, omnibus autem inſertis (ut diximus) opus eſt* Venis, Arterijs & Neruis, *quibus primo generatis, alias deinde ὅλας adnaſci oportet, tanquam parēchymata quædam.* Quin *etiam cerebrum, ut principium neruorum, uenis arterijsq́; ſuis adnaſcitur, & cordis etiam ſubſtantia uenulis, ipſum nutrientibus, quæ vt ſimul naſci concedamus cum ſuis in ſe propagatis his organis, poſterius tamen nihilominus perficiuntur à plaſtica facultate perfectæ ἀνομοιομερῆ partes.* Non enim ut omnia fiunt, ita ſimul omnia Anim*æ*

*inſtrumenta perficiuntur, nam ut Ariſtoteles inquit, Homo uel Equus prius ſtirpium uita quàm Animalis, & prius Animalis, quàm Hominis, aut Equi uita perficitur. Simul autem omnia* ἀνομοιομερῆ *organa naſci, ſed inchoata & informia intra ſeptimum à conceptu diem. his uerbis memoriæ prodidit* Hippo. *in libro de* Carnibus. Ὁ δὲ αἰὼν τοῦ ἀνθρώπου ἑπταήμερος. Πρῶτον μὲν ἐπὴν ἐς τὰς μήτρας ἔλθῃ ὁ γόνος ἐν ἑπτὰ ἡμέρῃσι ἔχει, ὁκόσαπερ ἐστὶν ἔχειν τοῦ σώματος. *Experimentum deinde ſuum commemorat, quo exploratum habuerit plaſticam facultatem in ſeptimo poſt conceptum die quaſi adumbraſſe omnia lineamēta & quaſi figuras organorum corporis quæ breuitatis cauſa recenſere nolo. His argumentis euidens eſt in formatione fœtus* Venas, Arterias, & Neruos *(quia ſunt in omnib. alijs partibus) ante ſua parenchymata formari, & priores eſſe* Venas *meſaraicas, quàm caro iocinoris ſit, ut quæ generatur ex ſanguine per uenas portæ affuſo aut circunfuſo uenis ipſis in ipſa carne ſparſis & incluſis. Quin etiā cerebri ſubſtantiam ſuis uenis & arterijs circundatam uegetari, & cor ipſum ſine ſanguine, & ſpermatico humore, neq; naſci, neq; uegetari poterit, ſanguis autē ipſe illic nequit eſſe niſi per cauā uenā ad eū locū, ubi cor eſt, affluxerit, ut propter ſanguinem, Venæ, & arteriæ principia omnium aliarum partium, quoad uegetantur, poſſint dici, & non ex alijs quaſi principijs initio generata uaſa hæc uel propagata cenſeri debeāt. Quomodo enim caro iocinoris, aut cor ipſum principiū uenarum erūt uel arteriarum, ſi prior erit harum ſubſtantia quàm principia generentur iſta ſanguine hæc per uaſa hæc affuſo. Eo enim, quod poſterius eſt* γενέσει *ſubſtātia prioris re. non conſtituitur, nam poſteriora non ad eſſen-*

etiam

tiam, ſed ad perfectionẽ pertinent prius ſubſtantia ſua propria exiſtentiũ partiũ. Galenus in libro de formatione Fœtus confitetur ex materia ſpermatica ante Iocinoris & cordis generationem Venas, & Arterias omnes uniuerſi corporis procreari, poſt Hepar autem, ipſum cor efformari, & poſtremo cerebrum ipſum. Ratione autem διοικήσεως, & non γενέσεως, Hepar principatum habere reſpectu uenarum, & cor, reſpectu arteriarum, ne ſcilicet nullũ principium uenæ & arteriæ habere & omnino eſſe ἄναρχα uideantur, ut nimirum ſine principio ſint, quoad uaſa hæc conſiderẽtur ratione ſubſtãtiæ ſuæ, ſed quoad reſpectu uſus & energiæ, non ſeipſis eſſe, ſed à principio quodam nexa uideantur eſſe. Ergo non à ſe habẽt uenæ quod ex chylo generant ſanguinẽ, ſed carni iocinoris hanc facultatẽ tranſſcribunt, & quod efficiũt arteriæ, idipſum cordi acceptum referant neceſſe eſt, ſiquidem Galeno habenda ſit fides, qui Vaſorum illorum ἐπίῤῥυτον δύναμιν eſſe ſtatuit. Hæc autem quàm uera & conſentanea ſint paulo diligentius conſiderabimus. Supra oſtendimus, quod propriæ actiones & energiæ, proprias potentias ſequantur & quòd δυνάμεις ſeu potentiæ, οἰκεῖαι ſubſtantiarum ſint propriæ, quoniam δυνάμεις, ſubſtantijs ſuis tanquam ſubiectis, definiũtur ἐκ προσθέσεως, ut propria πάθη definiri ſolẽt. Energia propria uentriculi eſt, generare chylum. Proficiſcitur Energia hæc à propria uentriculi potentia, ut potentiæ huius cauſa ſit ſubſtantia ipſius uentriculi, aut potius ſubiectum ſit, cuius cauſa ſit forma ipſius ſubſtantialis, ſiquidem compoſitum omne eſt ſubiectum naturale, ut propter partes has componẽtes, uel agere, uel pati aliquid poſſit res naturalis. Caro, facit ex ſanguine carnem potentia propria

carnis, quæ ut proprium πάθος, differt à ſubſtantia carnis, Vna eſt ſubiecti οὐσία, ſed potentiæ, aut propria πάθη multa inſunt, ut potentia uentriculi eſt, qua non modò conficit cibū, ſed qua appetere ipſum etiā poſsit, & qua itē poſsit ipſo ſatiari. Et carnis potentia una eſt, qua generet ex ſanguine carnem, item, qua, ut inſtrumento, flecti & porrigi ipſi poſsint articuli κατ' ἐντελέχειαν, Ventriculus, ſed ut ὁμοιομερὲς, Caro, Agens & Efficiens dicitur eſſe. In ſubſtantijs animati corporis numerantur, uenæ & arteriæ. Quāobrem neceſſe eſt ut earum quoque propriæ quædam ſint potentiæ, & potentiarum energia, ſi non fruſtra in corpore eſſe dicantur. Cæterum δυνάμεις ſeu potentias à quibus proficiſcitur Actio, bifariā diſtinguit Gal. in ἐμφύτους ſcilicet. i. naturales & ἐπιρρύτους, id eſt, ab alio quodā principio influentes, ut quo modo qualitas Animalis ſpiritus dicitur influere in Neruos, aut à corde uis & potentia pulſus influit in Arterias. Quodnam diſcrimen ſit δυνάμεων ſeu potentiarum illarum docet Galenus libro primo de Affectis locis, ut nimirum φυσική δύναμις, ſit σύμφυτος αἰτία τῆς ἐνεργείας, ſed ψυχικῆς ἐνεργείας cauſa ſit ἐπίρρυτος ἀπὸ ἀρχῆς τινος αἰτία, Vt nerui ſeipſis non ſunt inſtrumentum ſentiendi, ſi non influat in eos qualitas ſpiritus Animalis. Et ἐπίρρυτος quidem δύναμις diffunditur, ut ſubiectū ipſius nihil ad Energiam conferat, ſed unâ cum ſubiecto eiusq; ſubſtantia: per quam, inſtar luminis in pellucido tranſit, energiā præſtat, quemadmodum lumen, non ſine pellucido afficit oculos. Non enim ἐπίρρυτος δύναμις tanquam per canalem aqua perfluit, ut canalis nullam uim ad agendum aliquid, ratione eius quod perfluit, habeat, ſed ut quod perfluit non ſine illo, quod penetrat, uim habeat ad ener-

*gæ præſtationē, ut autor eſt Galenus in libro περὶ πλήθους. Quo manifeſtum eſt quātum referat ad ſenſum, uel motum præſtandum, aut ad exercendum pulſum, quomodo affecti aut temperati ſint nerui, aut qua temperatione prædita ſint arteriæ, ut opus ſuum ſecūdum naturam præſtare queant.* Nam tales *δυνάμεις, αἱ ὅλων στερεῶν σωμάτων δυνάμεσι, ut prædicto libro ſcribit Galenus. Et harum quidem δυνάμεων, ἀρχαὶ ψυχικαί, & non φυσικαὶ dicuntur eſſe.* Naturalis autē facultas eſt, cuius principiū non eſt extra ſubiectū, ſiquidē Natura (ut liquet ipſius definitione) principiū conſtituens ipſum ſubiectū, alio enim modo, Natura, & alio, Anima, dicitur eſſe principiū, cum externo motus principio poſſit uacare res naturalis, interno autem nullo modo poſſit, quo non tamen moueat: ſed etiam mobile exiſtat. Hactenus quomodo differant in corpore animalis *ἔμφυτος & ἐπίῤῥυτος δύναμις* oſtendimus, cui ſubijciemus etiam duplicem ſignificationem *δυνάμεως* ex Ariſto. libro θ Metaphyſicæ. Vna enim eſt & dicitur *ἐνεργητική*, quàm ſic definit Ariſto: ut ſit *ἀρχὴ μεταβολῆς, ἐν ἄλλῳ ἢ ἄλλο.* Alia uerò ſit, *παθητική*, nempe *ἡ ἀρχὴ τοῦ παθεῖν ἐν αὐτῷ τῷ πάσχοντι μεταβολῆς παθητικῆς ὑπ᾽ ἄλλου, ἢ ἄλλο.* Ex his quæ diximus, liquet, *ἔμφυτον*, ſeu *φυσικὴν* hanc *δύναμιν*, de qua in præſentia loquamur, non *παθητικὴν*: ſed duntaxat *ποιητικὴν* eſſe, ut *αἱματοποιητικήν, χυλοποιητικήν*, quæ utrum Venoſo generi, an carni Iocinoris ſit adſcribēda, deinceps conſiderabimus. Potentia ſanguifica, ſeu *δύναμις αἱματοποιητική*, cùm ſit genere Alteratrix, ſeu *ἀλλοιωτική*, Naturalem, ſeu *ἔμφυτον* eſſe, & non *ἐπίῤῥυτον*, confitendum eſt Galeno, qui ex profeſſo defendit in omnibus Animatis partibus, quatuor ineſſe facul-

*tates Naturales (quæ ſunt omnibus ut opinor notæ) è quarum numero una ſit Alteratrix contentorum facultas, qualem, reſpectu cibi in chylum mutationis, alteratricem uentriculo, & chyli reſpectu mutationis in ſanguinem, Venoſo generi adſcribimus. At ambiguè & inconſtanter Galenum loqui de ſanguifica facultate nemini dubium eſt, ut qui in ſexto libro de placitis* Hippoc. *& Platonis, & alijs pluribus locis* Iocinoris *carni primò facultatem hanc ineſſe dicat, aliàs uenoſo generi adſcribat uim iſtam, & aliàs in uenoſo genere dicit ineſſe ut* ἔμφυτον, *& aliàs contra, ut* ἐπίῤῥυτον, *ut communicatam à ſubſtantia* Iocinoris *facultatem.* Vt *libro primo de facultatibus* Naturalibus, *quãdo ſcribit, in uenis ineſſe* αἵματος ποιητικὴν δύναμιν, ἐν τῇ κοιλίᾳ πεπτικὴν, ἢ ἂν τῇ καρδίᾳ σφυγμικὴν. *Tales enim loco proprias & incommunicabiles alijs ſcribit eſſe* δυνάμεις, *ut quemadmodum nihil ſit propter uentriculum quod generare chylum poßit, ita nihil ſit præter uenas, quod ſanguinem generare poßit, ut hoc modo excludatur à potentia & energeia hac, caro* Iocinoris. Eandem *facultatem ſimiliter ijſdem adſcribit etiam libro primo de uſu partium, his uerbis,* αἵματος ἕνεκα γενέσεώς τε ἅμα καὶ τῆς εἰς πάντα τὰ μόρια φορᾶς αἱ φλέβες ἐγένοντο. *Alio loco, quòd in carne* Iocinoris *inſit primò ſanguifica facultas apertè confitetur, negatq; poſſe fieri, ut uenæ cùm ſint albũ & membraneum corpus, generent rubeum & ſanguineum humorem, cui aſtipulatur etiam* Veſalius. Galenus *libro 4. de uſu partium ſcribit in uenis eſſe* ἐπίῤῥυτον *facultatem ſanguificam quam eis caro* Iocinoris *communicet,* ἔμφυτον *autem ineſſe in ipſa carne* Iocinoris. ἡ μὲν γὰρ σὰρξ τοῦ ἥπατος αὐτὸ δὴ τὸ ἴδιον αὐτοῦ σῶμα, τὸ πρῶτον τῆς αἱματώ-

κειὸς ὄργανόν ἐστὶ, διό καὶ ταῖς εἰς τὴν γαστέρα, καὶ σύμπαντα τὰ ἔντερα καθηκούσαις φλεψὶν ὑπάρχει δύναμις τις αἵματος ποιητικὴ καθ' ἣν καὶ πρὶν εἰς ἧπαρ ἀφικέσθαι, τὸν ἐκ τῶν σιτίων ἀναδιδόμενον χυμὸν αἱματοῦν αὐτὸν αἱ φλέβες πεφύκασι. Veſalius lib. 3. cap. 5. Galeno diſſentiens, negat facultatem hanc Iocinoris ἔμφυτον, reſpectu uenarum etiam eſſe ἐπίῤῥυτον. Nihil his omnibus neq; incertius, neq; inconſtantius à Galeno de principe cauſa generante ſanguinem dici poterit. Quòd autem uera hæc ſit & indubitata cauſa αἱματοποιήσεως, quam ueterum quidam eſſe dixerunt, & quam nos etiam ſtatuimus eſſe, nempe uenas ipſas, certiſsimis demonſtrationibus & argumentis, efficiam ut omnes eruditi & intelligẽtes ἀποδείξεων aſſentiantur; niſi ſtolidè & pertinaciter refragari uelint. Prima ὄργανα τῆς φύσεως τῶν ζώων eſſe uenas, & Arterias, conſtat inter omnes ſine quibus Animal neq; naſci, neq; uegetari poteſt, & quòd in utriſq; uaſis contineatur ſanguis ſecundum naturam. Nam profuſus extra uaſa hæc, aut in grumos concreſcit ſanguis, aut in partes nutriendas uberius influens phlegmonum tumores excitat, ut his utriſq; modis ſanguinem, quoad eſt extra uenas, neceſſe ſit corrumpi. Quo manifeſtum eſt, duntaxat intra uenas ipſum integrum & incorruptum conſeruari ſecundumq; naturam locum & receptaculũ eſſe ſanguinis uenas & Arterias. Verũ tamen hoc argumento non colligitur ſanguinem effici à uenis, quia contineatur ſecundum naturam à Venis, quandoquidem contineatur etiam à cauis ſeu uentriculis cordis, & ob id tamen cor non ſit αἱματώσεως principium, ut falsò uiſum fuit Ariſtot. & quòd ipſum etiam cor principium ſit uenarum, tametſi cordis etiam caua ueſtita & oblita ui-

*detur: eſſe membranis uenoſis, & non ipſa per ſe caro cordis continere ſanguinem ipſum ἀμέσως uideatur.* Quamobrem circumſpicienda alia eſt ratio ac demonſtratio, qua probetur uenas primum eſſe inſtrumentum quo generetur ex chylo ſanguis, & qua, αἱματοποιητική δύναμις in ipſis eſſe concludatur. Propria hæc uis & facultas uenarum eſt, quam nulli alij Inſtrumento adſcribere liceat, perinde ut ſolus uentriculus eſt χυλοποιητικός, & ſola caro, σαρκοποιητική, & Neruus νευροποιητικός, & os ὀστοποιητικόν reſpectu nutrimenti ſui. At uentriculus, & uenæ, uegetationi uniuerſi corporis ſubſeruiunt: reliquæ partes omnes ut ſeipſas nutriant uim ποιητικὴν in ſe ἔμφυτον habent. Efficientia talis duntaxat in ſolidis eſt partibus (græci appellant, στερεὰ μόρια) quæ, aut ſemetipſas nutriunt, aut humores generant nutrituros, ut uentriculus, & uenæ, aut ſpiritus duntaxat, quales generat in ſuis cauis cerebrum, aut ſimul humores, & ſpiritus uitales, ut in ſiniſtro cordis uentriculo generãtur. Quo manifeſtũ eſt per Inductionem, ποιητικὴν δύναμιν ἔμφυτον dumtaxat in ſolidis partibus corporis Animati ineſſe neceſſariam ut corpus nutrimento uegetetur, παθητικὴν autem δύναμιν, in ſubiectis eſſe, é quibus generetur aliquid. Sunt autem δυνάμεις omnes illæ ἀλλοιωτικαὶ & genere facultatum naturalium continentur, quas conſtat non eſſe ἐπιῤῥύτους, de quarum differentia ſupra fuit dictum. Actionem & paßionem ex neceßitate prouenire inter ſe mutuo tangẽtia Axiomate Phyſico liquet, Non enim niſi contactu potentia efficientis, & potentia pacientis reducuntur ad actum. Quoniam, ut Galenus teſtatur libro. 6. de placitis Hippo. & Plato: ἀδύνατον εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ἰόντα δύο σώματα, μὴ δρᾶν καὶ

Πάσχειν

ῥάχειν εἰς ἄλληλα. Ex his, quæ diximus, liquet, Galenum ſolidis partibus (quæ omnes ſunt aut carnea, aut Spermatica materia generatæ) adſcribere ἀλλοιωτικὴν δύναμιν, quoniam ut ſcribit libro. 12. Methodi medendi, ἐν τοῖς στερεοῖς σώμασι μάλιστα ἐνυπάρχειν ἔοικεν ἡ οὐσία τῶν δυνάμεων, quam ſi concedat quis eſſe etiam ἀλλοιωτικὴν, ſine omni dubitatione concedet etiam eam uim eſſe ἔμφυτον, & nequaquam reſpectu alterius principij ἐπίῤῥυτον. Quòd ſi ſpermaticæ partes ſolidæ, carniformibus comparent, ſecūdum Galenum, pro principaliter ſolidis habendæ erunt ſpermatica materia generatæ partes; quas nonnunquam appellat ὄντως στερεὰ μόρια, ut commen. 17. lib. 3. Aphoris; αἱ μὲν γὰρ ἐνέργειαι γίνονται διὰ στερεῶν τοῦ ζώου μορίων, ἅπερ δὴ καὶ ὄντως ἐστὶν αὐτοῦ μόρια, carniformes enim, quaſi parenchymata uidentur eſſe partium ex materia ſpermatica generatarum. Proinde ſupra oſtendimus, uenas, & Arterias, eſſe prima organa Naturæ, quibus & generetur Animal, & quibus etiam uegetetur & nutriatur, ſuppeditantibus ſanguinem omnibus partibus nutriendis. In quibuſdam autem ſpermaticis organis, id eſt, é ſpermatico humore generatis duplex eſt ἀλλοιωτικὴ facultas. Vna quâ ſuum proprium nutrimentum ſuæ ſubſtantiæ aſsimilant, ut quādo permutando ſanguinem in ſpermaticum humorem, eundem ſuæ ſubſtantiæ apponendo, aſsimilant eundem ſuæ propriæ eſſentiæ, cum ex quo generetur quidpiam primo, eodem ipſum quoq; nutriri neceſſe ſit. Altera facultas eſt & δύναμις, ut parent uniuerſo corpori materiam nutritionis, alterando & concoquendo intra ſe contenta ſcilicet, ut uentriculus, chylum ex alimentis, uenæ autem ſanguinem generent ex chylo. Ambo autem organa, hæc humoribus

his,

*his, niſi permutatis in ſpermaticum humorem, nequaquam nutrientur, copioſius hæc omnia explicantur à Galeno libro priore de Semine ſeu ſpermate, quæ breuitatis cauſa omitto. Hactenus ueris rationibus, freti quoq; autoritate Galeni, oſtendimus, duplicem δραστικὴν ſeu ποιητικὴν δύναμιν eſſe in uentriculo, & in uenis, quarum una in uentriculo chylus generatur, ſed in uenis generetur ſanguis ἀλλοιωτικῇ ipſarum δυνάμει, quæ propria ſit & naturalis facultas horum organorum, & non ipſis aliunde affluat, qualis δύναμις in Neruis, uel Arterijs, ratione pulſus, ineſſe dicitur. Vt autem extra uentriculum alimenta non uertuntur in chylum, ita extra uenas, chylus non permutatur in ſanguinem, & quòd utraq; Efficientia horum organorum naturali ipſorum facultati ſit adſcribenda, ſatis ſuperq; liquere arbitror. Attrahere enim chylum ad ſe, & uenas meſaraicas, & nonnullas etiam Arterias, ex inteſtinis & uentriculo pro confeſſo habetur apud anatomicos. Sed utrum ipſæ ſanguinem ex eo generent, certum Galeno non eſt, non tamen à nobis: ſed etiam à ſe ipſo diſſentiente.*

*Galenus, cum Veſalio, abſurdum eſſe cenſent, ſi opinetur quis poſſe fieri, ut albicans & membraneum corpus rubeum & ſanguineum humorem poßit generare, alioqui enim alteratos humores alterantibus corporibus colore ſimiles eſſe, ut chylum, uentriculo, ſperma, uenis, & teſticulis genitalibus, & omnino nutriri nullam partem corporis, ſi qui nutrit humor, non ſimilis colore fiat nutrito corpori, ut quod à carne alteratur, ſimile colore fit carni, & quod à membrana aut neruo, aßimilatur colore illis, ut nutrimenta nutritis corporibus omnino ſimilia ſint colorib. & ſubſtantia. Derogant uenis hoc argumento ſanguificam*

ſicam facultatem, quod ipſum quàm abſurdum ſit & alienum à Phyſicis rationibus, & uulgò etiam notis rebus, paucis declarabo. Duplicem efficientiam paulo ante adſcripſimus uentriculo, & uenis, unam, quoad κατ' ἐντελέχειαν uentriculus efficiens cauſa ſit chyli. qua neceſſe non eſt, ut effectus, colore ſimilis ſit efficienti, aut qua ſanguis eundem habeat colorem quam habent uenæ, ſed accidit, ut interdū diſcrepent coloribus, aut ut nonnunquā eoſdem habeant colores, ſiquidem non fuerit ὁμοειδὲς efficiens. Nam κατ' ἐντελέχειαν agens, nonnunquam (ut ſupra quodam poſtulato Phyſico planum fecimus) non modo non ὁμοειδῆ, ſed ne ὁμογενῆ quidem producit effecta. Non enim Efficientis δύναμις ſuo colore efficax eſt ad producendum aliquid, ſed proprietate ſuæ ſubſtantiæ alterat patiens corpus ſecundum qualitates primas quarum temperatione & mixtura deinde proueniunt qualitates ſecundæ, in quibus ſunt etiam colores, qui nullam uim habent ad alterandum quicquam, cùm ijs nihil, præter oculos affici poßit, ut in ipſis excitetur energeia uidendi. Quemadmodum ergo abſurdum & futile eſt dictu (autore Galeno libro ſecundo Methodi curandi) ſi dicat quis colorem uentriculi in cauſa eſſe, ut benè, aut malè concoquat cibum, ita ſtultum & ineptum ſit, ſi quis adſcribat uenis etiam ratione coloris, efficaciam generandi ſanguinis, & alterandi chylum in rubeum humorem, quòd uidelicet color efficientis, non producat colorem patientis, ex neceßitate, ſed quod patientis alterationibus generari colores accidat, ut alias etiam ſecundas qualitates prouenire his alterationib. contingit. Quamobrem autem nutrientes humores, coloribus, alijsq; qualitatibus nutritis corporibus aßimilentur, nulla alia eſt cauſa quàm

quòd

*quòd in his Agens, & patiens, ſint ὁμοειδῆ. Vt ſi uentriculus, aut uenæ nutrimenta, ſuæ ſubſtantiæ aſsimilent, qua ratione neceſſe eſt, ut alteratus humor alteranti corpori colore ſimilis efficiatur, qua tamen alteratione Sanguifica facultas nō derogatur uenoſis corporibus, quandoquidem non eadem alteratione è chylo faciant ſanguinem, & ſanguine permutato in ſpermaticum humorem, nutriantur nutrimentum ſibi aſsimilando. Hoc uno falſo & uano argumento ſeducti, feneſtram (ut dicitur) his aperuerunt erroribus, ut propter colorem rubeum ſanguinis) facultatem ſanguificam adſcriberent carni Iocinoris, quæ ipſa quoq; rubeat, & propter colorem hunc, hepatis generari è chylo rubentem ſanguinem conſtante. Huius carnis facultatem communicari etiam uenis, inquit Galenus, ut ἐπίῤῥυτον, quod ipſum tamē alienum à uero eſſe Veſalius ſcribit libro. 3. cap. 5. ſuæ Anatomiæ, inuehens in Galenum acerbius. Potentia ἔμφυτος ſeu naturalis inſeparabilis eſt à ſua ſubſtantia, cui ineſt ut ſubiecto, cùm ſit ipſius proprium πάθος. At ſupra oſtenſum fuit, uenas, & arterias naſci antequam caro Iocinoris, aut cordis generentur. Quòd ſi prior ſit γενέσει earum ſubſtantia, neceſſe eſt ut ipſis quoq; inſit ἔμφυτος δύναμις, quandoquidem ſimul ſint, & ſimul deſinant eſſe. Quamobrem liquet harum ſubſtantias ipſas per ſe principia eſſe, & non à principio quodā nexas, & Arterias per ſe facultate ſanguifica præditas eſſe (quū nonnullæ etiam in Menſenterio chylum ſugant, quem poſtea in ſanguinem conuertant) & à corde non niſi pulſatilem fa cultatem in ipſas influentem accipiant, quæ pulſatio faciat non ad generandum, ſed ad perficiendum & refrigerandum ſanguinem, ut aliâs etiam Iocinoris caro ad id ipſum*

*ſum facere uidetur, & non ut generetur ſanguis in ipſa carne.* Negat Ariſtoteles *carnem* Iocinoris *reſpectu uenarum, eſſe* ἀρχοειδές *quiddam, quòd ex ipſa non enaſcantur, ſed in ipſam ingrediantur, & prius exiſtentes inſinuentur. Item, quòd mediantibus uenis caro* Iocinoris *alteret ſanguinem, quòd ſi ipſa per ſe caro, & prima cauſa eſſet ſanguinem efficiens, aut ipſum conſeruans, primò etiam & per ſe, & non mediantibus uenis ſanguinem contineret, cùm inter agens & patiens primum nullum ſit medium, tangentia ſe mutuò. At ſanguis, qui in uenis eſt, ſi carne* Iocinoris *idem* ἀμέσως *contineretur, aut in grumum conuerteretur, aut phlegmonem in ipſa carne excitaret. Aqua calida prima, & per ſe cauſa eſt elixationis, ignis calor, ſine aqua, ad elixandum nullam habet uim. Sic una quæq; duntaxat eſt* ποιητικὴ δύναμις*, exiſtens in eo quod* ἀμέσως *attingit patibile corpus.* Vt *autem omento, quia adiuuat, & perficit concoctionem cibi, quæ fit per ſe & primò, in uentriculo, energeia concoctionis, aut potentia naturalis iſtius* Energiæ *tranſcribit, nequaquam cùm ſola ſubſtantia uentriculi, propter ſuam* ἔμφυτον δύναμιν*, ſit officina concoctionis, & generationis chyli cauſa, ſic per ſe, & primò,* caro Iocinoris *nullo modo generabit è chylo ſanguinem, cùm ſanguinem in ſe nullum recipiat, niſi quem cauſa nutritionis in ſuam conuertit ſubſtantiam, ut ſi copioſior influat, tantùm abſit ut conſeruet, ut ipſum una cum ſanguine in ipſum profuſo: periclitari de ſanitate & eſſentia ſua contingat. Sed nonnulli tam abſurda & ab horrentia à uero de ſanguifica facultate hepatis dicunt, ut perſuaſum ſibi habeant, ex minutiſſimarum uenularum portæ in ſima parte inſertis oſculis profluente & quaſi colori ſanguinem in*

*carnem*

*carnem Iocinoris, ut eius contactu elaboretur & perficiatur prius, quàm ſubeat in uenarum oſcula propagatarum ex caua uena in gibbam partem, & eò id factum à natura eſſe, ut oſcula primarum & ſecundarum uenarum, non committerentur.* Nam *commißis & coniunctis earum oſculis ex neceßitate ſanguini receptum & profuſionem in carnem* Iocinoris *nullam fore, nam tranſitionem ſanguinē habiturum &* μετάδοσιν *ex primis uenis in ſecundas non interpollatam, ſed continuata motione è uenis inferioribus in ſuperiores diffuſum, omnem penetraturum in cauam uenam continenti tranſitu.* At *quòd oſculis oſculæ non commiſerit natura, id uerò* Anatomia *conſpicuum eſſe liquet.* Itaq; *prius diffuſum in carnem Iocinoris ſanguinem perfici alterando, & poſterius eundem oſculis gibbæ partis uenarum attrahi, & in cauam receptari affirmant, ut per uniuerſum corpus ſecundis uenis diſpertiatur, & in partes omnes nutriendas diffundatur. Sit ſane ut extrema uenarum oſcula ſimæ & gibbæ partis, non ſint conſerta & contexta, ut* Anatomicis *placet, ob id tamen non ſequitur ut propter oſcula hæc dirempta ſanguis ſe profundat in carnem Iocinoris ut contactu ipſius alteretur & perficiatur, & poſtea tranſumatur in uenulas gibbæ partis.* Etenim *oſculis his diſcluſis exilium uenarum in ſima parte diſtributarum, tantum effluit ſanguinis* δροσοειδῶς *imbuentis carnem* Iocinoris, *quantum ſatis eſt ad nutritionem ipſius, eo autem maiore copia influente, excitari* Phlegmonem *neceſſe eſt, id autem accidit* Hepati *perinde ut omnibus nutriendis alijs partibus.* Nam *& uenoſa ipſa corpora, quamuis omnem ſanguinem in ſe contineant, pro nutritione tamen ſui, tantilla quantitate imbuuntur quantula ſufficit ad nutritio-*

tritio-

*tritionem. Sin amplius quid ſanguinis infarctum ſit, phlegmone & ipſas corripi autor eſt Galenus. Quo manifeſtum eſt ſanguinem in carne locinoris non diffundi ut contactu ipſius concoquatur, ſed duntaxat ut Hepar eo nutriatur, pro eo ut omnibus partibus corporis ad ſui nutritionem ſanguine opus eſt. Is uerò ſanguis qui tranſit ex uenis ſimæ, in uenas gibbæ partis Hepatis, alteratur à carne locinoris ut adiuuãte cauſa, non autem ut principali, ſanguificationis, intra uenulas incluſus, non extra profuſus, autore Galeno, qui ſcribit uenulas iſtas tenuiſsimas eſſe, quo minutè diffuſus ſanguis perfici ab Hepate ſanguis commodius poßit. Expoſuimus cauſam opinor ſatis probabilẽ propter quã non coniunctis commißiſq; oſculis ſanguis ex ſima parte non continenter, ſubeat in oſcula uenarũ partis gibbæ. Nam tali effluxione & traiectu continuo priuaretur Hepar nutrimento ſuo, ſiquidem nutriturus ſanguis non niſi per oſcula effluens δροσοειδῶς, ut Galenus ſcribit, partes nutriendas imbuat. Nihilominus tamen obliquis inſertionibus uenularum, gibbæ partis uenæ à ſimis partibus accipiunt ſanguinem in cauam uenam transfundendum. Nam ſi nõ hoc modo cohæreãt, tranſitio & μετάδοσις ſanguinis nulla erit in uenam cauam, aut in gibbæ partis uenulas. Et hac communicatione uenarum utriuſq; partis hepatis, ſanguis & influere in cauam uenam ex meſeraicis, & denuo refluere poteſt, ut quando multitudine ſanguinis ſeſe exonerat corpus in dyſenterijs ſanguineis, regurgitando in uenas meſeraicas, per quas inteſtinis influens poſtea per aluum excernitur. Idem accidit etiam in Diarrhœis quibusdam, quibus uniuerſum expurgatur corpus, ut neceſſe ſit connexionem hanc eſſe uenularum ſimæ & gibbæ partis loci-*

Hippo. ſectio. 7. Apho. par. 29. ἢν ὑπὸ λευκῦ φλέγματος ἐχομένῳ διάρροια ἰσχυρὰ ἐπιγένηται, λύει τὴν νόσον.

noris. Proinde modo Hepar, non dico generabit, ſed uel adiuuans cauſa erit generationis ipſius ſanguinis, ſi quod uenis hepatis continetur, chylus non ſit, ſed ſanguis, quod ipſum Galenus & Veſalius neceſſe eſt ut fateantur. Sed, inquiunt, imperfectus eſt ſanguis qui continetur. At ſanguis tamen, & non chylus erit ut prior ſit ſubſtantia ipſius in meſeraicis, & poſterius perficiatur in uenis Iocinoris. At quod accidentibus, perficitur, non ſimpliciter generatur, quum ſubſtantia magis, & minus reſpuat. Quare ne adiuuans quidem cauſa erit generationis ſanguinis caro Iocinoris, ſi duntaxat perfectionis ſanguinis ſit organon, ut aliâs adiuuans cauſa generationis chyli omentũ eſſe dicitur. Nec eſt ut dicat aliquis cum Galeno, in meſeraicas à carne Iocinoris potentiam hanc influere, quandoquidem omnis φυσικὴ ἀλλοιωτικὴ, ſit (ut probauimus) non ἐπίῤῥυτος, ſed ἔμφυτος quædam δύναμις. Igitur ex neceſsitate uenis meſeraicis per ſe, & primò inerit αἱματοποιητικὴ δύναμις, & nequaquam carni Iocinoris, ut Galeno, Veſalio, & omnibus ferè perſuaſum eſt, ut his argumentis & demonſtrationibus perſpicuum eſt, quibus omnia omnibus conſentaneè ἀπ᾽ ἀρχῆς μέχρι τέλους, dicuntur.

Poſita autem hypotheſi altera, qua ſtatuitur meſaraicis uenis facultas ſanguifica per ſe non ineſſe, quàm multa abſurda & impoſsibilia ſequantur his rationibus manifeſtum erit. Hærebit ergo & ſubſiſtet chylus in his uenis ſine permutatione in ſanguinem, quare ſequitur, ut facultas naturalis ἀλλοιωτικὴ, reſpectu contentorum, nulla ſit in his uenis, ſed tanquam per canales & tubos ſuccus ille defluet ad Iecur, ubi primum in ſanguinem permutetur. Pugnat id cum ratione & decretis Galeni, qui ſolidis partibus omnibus

*bus hanc facultatem naturalem ineſſe ſcribit, ut contentos in ſe humores alterent, & in aliam ſpeciem mutent.* Nam ſi *hæc mutatio non ſit, nec* Nutritio erit, *quandoquidem chylo nihil nutriatur.* Quæſo *autem eos*, qui Hepar *ut* ἀρχοειδὲς *quoddam organon defendunt, & ei* αἱματοποιητικὴν δύναμιν *adſcribunt, ut modum nobis exponant, quo uentriculus, inteſtina, omentum ipſum, deniq; uenæ ipſæ meſeraicæ, nutriantur, ſi in uenis meſeraicis ſanguis non ſit, ſed chylus duntaxat, quem ad ſe pertrahant è uentriculo & inteſtinis ſuctu quodam.* At chylo nutriri nullam partem corporis *manifeſtum eſt.* Etenim *iiſdem humoribus partes ſimilares nutriri, quibus generatæ ſint, autores ſunt* Ariſtot. *&* Galenus. *Sed generari aut ſpermatico humore, aut ſanguineo, omnes partes* Animalis *ſanguinei, conſtat inter omnes, ut impoßibile ſit partes modo dictas, chylo per ſe nutriri.* Explodenda *igitur* Galeni *opinio eſt: qua ſtatuit uentriculum ut chylo ſatietur, ita eodem ipſum quoq; nutriri, & multò magis, quòd alibi ſcribit tantum ſanguine ipſum nutriri, quem deferant ad ipſum uenæ quædam ex caua propagatæ, diſſentiens à* Veſalio *ex diametro.* Deinde *à primo ortu quæro, ſanguine, an chylo nutritus fuerit uentriculus?* Conſtat *autem dum fœtus continetur in utero, ut ipſum fœtum ita quoq; uentriculum ipſius augeri & adoleſcere ſanguine.* Nam *adoleſcere, ſine nutritione, nihil poteſt.* Nutriebatur *ergo tum ſanguine, cùm expers alimentorum uentriculus nullum eo tempore conficeret chylum.* Quo *perſpicitur ſanguinem nutrimentum eſſe uentriculi, & non chylum, quum chylus immediatè in ſpermaticum humorem mutari nequeat (qui* προσεχὴς *materia eſt nutritionis ſpermaticarum partium) & idem chylus à uentricu-*

lo etiam permutari ſanguine à ſubſtantia nequeat , ut qui duntaxat χυλοποιητικὸς , & non etiam αἱματοποιητικὸς exiſtat. In his ſymplegadibus opinionum & errorum uerſans Veſalius, ſummus Anatomicus, temere reprehendit eos tanquam Sophiſtas libro. 5. capite tertio ſuæ Anatomiæ, qui quærant, quo nam ſucco nutriatur uentriculus? Chylone, an ſanguine, an utroq;. Quam Aporiam cùm ipſe diſſoluere nequeat , eo quòd cenſet meſeraicas non ſanguificare, huius controuerſiæ arbitrum & διαιτητὴν hac reprehenſione confitetur ſe non poſſe eſſe manifeſtis abſurdis conſtrictus. De nutritione autem uentriculi loquens, quam inconſentanea ſcribat, facile ex his ipſius uerbis deprehenditur: quæ ſic habent. Quandoquidem beneficio illarum facultatum, quas uentriculus de reliquis partibus communes adipiſcitur proprium ſibi nutrimentum ex uenis allicit, retinet, elaborat, & ſi quid ſuperfluum ipſi fuerit, à ſe reijcit. Non quæritur Veſali, an aliquo, aut, an proprio ſucco nutriatur uentriculus, ſed quali, chylone, an ſanguine? Proprius uentriculi ſuccus eſt , quem efficit, chylus ipſe, ſi eo proprio nutrietur , tum chylus ipſius nutrimentum erit. Quo cum pleniſſimè ſe ſatiet & infarciat , antequam redundans traijciatur in uenas, quid opus eſt ei uenarum miniſterio, ut ab illis accipiat, quo tamen propter redundantiam ipſius uenæ participent? Secundum Veſalium igitur, uentriculus fruſtra committit uenis meſeraicis, quod mox ipſis tanquam ſuum, iterum eripit & quaſi repoſcit. At quod uentriculo reſtituunt uenæ, ſanguis ex chylo generatus, non erit, quandoquidem (autore Veſalio) ſanguis non generetur ui & efficatia meſeraicarum uenarum, & præterea ſanguis proprius uentriculi non ſit , ſed communis

humor

*humor, quo cœtera omnia (& non tantum uentriculus) nutriatur. Nihil ergo habebit, quo ex iſto Labyrintho ſeſe extricet Veſalius, ut omnino ſit aliud, quemadmodum alicubi inquit Galenus, ἁρπάζειν, & aliud ſit δεικνύειν τοὺς λόγους. Quomodo autem οἰκείοις, & non ἀλλοτρίοις λόγοις demonſtrandum ſit, Ariſtoteles in Analyticis docet, tametſi ipſe etiam hallucinans interdum falſa, falſis & alienis demonſtrat principijs. Sed humanum eſt falli, errare, decipi, alieniſsimum autem à uirtute & ſapientia eſt receptos errores pertinaciter defendere, quod faciunt in primis οἱ τὴν θέσιν φυλάττοντες. Quòd ſi ſolius carnis Iocinoris propria ſit αἱματοποιητικὴ δύναμις, quomodo chylus, quem Arteriæ exugunt, conuertetur ab ipſis in ſanguinem, quarum origo non ſit Hepar, & Galenus ſanguificam facultatem cordi deroget, diſputans contra Ariſtotelem? Quòd autem Arteriæ nonnullæ chylum attrahant, & Galenus autor eſt, & Hippo. in libello de corde, his teſtatur uerbis:* ἡ γὰρ μεγάλη ἀρτηρία βόσκεται τὴν γαστέρα καὶ τὰ ἔντερα, καὶ γέμει τροφῆς οὐχ ἡγεμονικῆς. *Quæ uis ergo* ἔμφυτος *ſanguificandi in uenis, eadem in arterijs quoq; erit, quòd, quemadmodum uenæ, ita quoq; Arteriæ ſanguinem ſecundum naturam intra ſe contineant, quanquam calidiores ſunt Arteriæ uenis, & tenuiorem ſanguinem in ſe contineant ſpiritu uitali mixtum, quem pulſus etiam cordis temperet. Quòd ſi Galenus & Veſalius cenſent, uentriculum, & Inteſtina cum omento, ſic nutriri, non ut chylo, quem meſeraicæ deferunt in Hepar, ut illis permutetur in ſanguinem, ſed ex chylo in Hepate facto ſanguine, & regurgitante rurſus per eaſdem uenas, partes modo nominatas nutriri, reditus is ſcilicet & regurgitatio hæc, tanquam falſa, ua-*

*rie argumentis confutari poterit. Quæ diſpenſatio quæſierit, ut non omnis regurgitet, ſed duntaxat tanta portio quanta ſuffectura ſit ad nutritionem modo nominatarum partium? Aut regurgitans ſanguis in* Meſaræum, *quomodo non præter naturam miſcebitur cum chylo in illis uenis contento, & idem mixtus cùm ſanguine quomodo ſeparatim nihilominus uerſus hepar mouebitur, ut illic permutetur in ſanguinem? An non impedient ſe mutuo motus iſti chyli, ſubeuntis in* Hepar, *& ſanguinis ex* Hepate *redeuntis, ut nutriantur partes modò dictæ. An non etiam* Gale*nus manifeſtè negat, contra* Ariſtotelem *diſputans, per eaſdem uenas & uias per quas chylus deferatur etiam regurgitare & redire ſanguinem, & quaſi refundi non poſſe ſcribens*, φαίνεται ἡ φύσις οὐ τοῖς αὐτοῖς ἀγγείοις χρωμένη, πρός τε τὰς ἡμιεργάστους ὕλας, καὶ πρός τὰς τελέως εἰργασμένας, οὐδὲ ταῖς αὐταῖς ὁδοῖς. In *Dyſenterijs ſanguineis regurgitat ſanguis, ſed non ut nutriendo ſit, uerum ut tanquam redundans & inutilis per inteſtina uacuetur. Secundum naturam omnis diffunditur à primis per* Hepar *in ſecundas & poſteriores uenas ſanguis.* Vides opinor optime Lector, *quàm omnia in conſentaneè diſputentur ab his, qui carnem iocinoris primum ſanguificationis inſtrumentum eſſe defendunt, quam tamen hactenus probatum ſit potius à ſanguine, ut ſua materia, generari, quàm ut ipſa, ſanguinem generet, quum ſimilimum* Hepar *ſit, autore* Galeno, *ſanguini concreto, & ſanguinē tamē caro hæc ſine uenis cōtinere nequeat, & ſolidæ ſpermaticæ partes, præ carniformib. eximiam efficatiā habeant ad generandum aliquid, propter perfectionem ſubſtantiæ, & ſanguine etiam poſterius generetur ſperma, perfectiſſima efficientis organi alteratione.* De colore

*rubeo,*

rubeo, ſupra diximus, quòd propter eum adſcribi αἱματοποίησις Hepati nequaquam debeat. Nam energeia, potentiæ, potentia autem, ſubſtantiæ perfectionem ſequitur. Hactenus ſatis ſuperq; demonſtratum arbitror, τὰ πρῶτα τῆς φύσεως ὄργανα, nempe uenas, & Arterias, eſſe in quibus inſit δύναμις αἱματοποιητικὴ per ſe, & primò, & quòd ſuam δύναμιν nulli principio alij tranſcribant, ut pulſatilem aliâs facultatem Arteriæ, cordi, & ſenſus motusq; principium Nerui cerebro debent cõcedere principatum. parum autem conſiderati ignorantes diſcrimen inter principales, & cauſas, ſine quibus non fit, aut eſt, aliquid cauſis interdum ſine quibus non fit aliquid, tanquam principalibus aſſignant effectus, quod in rationibus & demonſtrationibus ut uitioſiſſimum damnat Plato in Phædone. Quia laborante uehementer corde cerebrum officio ſuo fungi nequit, ut ſi laboret ſyncopa, iccirco Ariſtoteles opinatus eſt cor principium eſſe ſenſus, & motus. Omentum eſt, ſine quo uentriculus nequit conficere alimenta, ob id per ſe cauſa tamen non erit omentum concoctionis ciborum. Et niſi elaboretur & perficiatur in Hepate ſanguis, impediri ſanguinis etiam generationem contingit, aut ſi malè affecto Iocinore, ſanguifica facultas debilitatur, non ob id ſequitur, ut Hepar ſit, & non uenoſum ipſum genus αἱματοποιητικὸν πρῶτον αἴτιον.

Itaq; uenæ meſeraicæ, ut per ſe αἱματοποιητικὸν principium, generant ex chylo ſanguinem talem, quo & ipſæ uenæ nutriri, & organa, in quæ ſubeunt, ut in Ventriculum, inteſtina, omentum, eodem nutriri queant. Non enim tam perfecto & elaborato ſanguine his opus eſt, quàm his partibus quæ ſecundis & poſterioribus uenis nutriuntur. Non

*autem omnem, ſed ſelectiſsimum & accommodatiſsimum ſanguinem ſuæ ſubſtantiæ apponunt, agglutinant, & aſsimilant omnes partes corporis, quibus nutrimento eſt opus. Diſsimiles autem quodāmodo, diſsimilibus nutriuntur, non ſubſtantia, ſed temperamenti qualitate ſanguineis humoribus partes corporis. Licet id cernere in ſtirpibus, ut Arboribus, quarum radices nutriuntur ſucco in ipſis primum alterato, quem, ut alimentum attrahunt à terra, qui in radicibus alteratus, eiſdem ut nutrimentum communicatur, quod reſiduum eſt, penetrat in ſtipitem & ramos, ex his, in folia, flores, & poſtremò in fructus. Idem eſſentia in omnibus eſt ſuccus à radicibus alteratus, quo nutriuntur partes omnes, ſed qualitate tamen & temperamentis differentes. Elaboratiſsimus eſt quo fructus nutriuntur. Perfectis fructibus, ſi generetur, quod maturatione perficiatur, alterius ſucci quàm nutrituri, uel nutrientis appellationem ſortietur, ut lac in Animalibus. Perfectior in ramis eſt, quam in radicibus, in folijs, aut floribus, naturæ ipſorum quibus aſſimilatur ſuccus, reſpondet. Et in fructibus, naturæ reſpondent fructuum, humores enim nutrituri mutantur pro ſolidorum corporum (quæ nutriuntur) differentijs, quorum nutrimenta exiſtunt. Et his differentijs, partium, multa, & uaria remedia nonnunquam una in ſtirpe naſcuntur, nam partes ſingulæ aſsimilantes ſibi nutriturum ſuccum, ut δυνάμεσι ποιητικαῖς, ita quoq; οὐσίαις diſcrepant. Sed οὐσίαι tamen partium differunt Naturis, Naturæ autem ipſæ principia ſunt, At ſeipſis principia ſunt, ut unum ποιητικόν, reſpectu alterius, non poſsit rationem habere principij, non enim principium, alio quodam principio ſubſiſtit. Non autem ſi quid ſine alio eſſe, aut efficere aliquid nequeat, ob id, ip-*

*id , ipſum pro principio alterius eſt habendum, ut ſi cerebrum non poßit eſſe ſine corde, aut cor non poßit eſſe ſine cerebro, ſed de hoc paulo ante fuit dictum: ſupereſt, ut deinceps reliquas Galeni cauſas, quibus uenoſo generi* ἀρχήγονον καὶ ἔμφυτον δύναμιν *derogat conſideremus propter quas, reſpectu uenarum,* ἀρχοειδὲς *quiddam Hepar eſſe opinatur, quas recenſet & commemorat præcipuè in ſexto de placitis Hippoc. & Platonis libro.* Ἀρχὴν, & ἀρχοειδὲς *in præſentia appello, quando id quod à principio nexũ dicitur, ſuam potentiam, qua efficax eſt, ut præſtare aliquid & efficere poßit, tranſcribit ei à quo tanquam principio dependet. Propter* ἐπίῤῥοιαν *autem cuiusdam* δυνάμεως, *omnia huiuſmodi, à principio nexa eſſe dicuntur, quandoquidem* ἐπίῤῥυτος, ἐμφύτῳ δυνάμει *ſit oppoſita.*

*Galenus negat uenarum ſubſtantiæ propriam eſſe, ſed communicatam à carne iocinoris, ut* ἐπίῤῥυτον δύναμιν, *quia uidelicet Hepar principium ſit &* γενέσεως, & διοικήσεως *uenarum , qua efficaces dicuntur ad generandum ſanguinem propter influẽtem* δύναμιν αἱματοποιητικὴν. *Supra oſtendimus ſubſtantiam uenarum non naſci ex Hepate, cum ſint priores Hepate , ſed ijs poſterius carnem ipſius Hepatis circumfundi , & adnaſci, tanquam* παρέγχυμα *quoddam. At quod poſterius* γενέσει *eſt, non poteſt principium eſſe eius quod prius* γενέσει *eſt, nec quod proprium eſt uenarum, ut ſanguinem continere, & conſeruare, & fouere, uim illam &* δύναμιν *à poſteriore quodam accipient, qua ratione* γενέσεως *, uenæ potius Hepatis: quam hepar, uenarum dicendum erit principium. Altera* δύναμις, *nempe efficiendi ex chylo ſanguinem ,* ἔμφυτος *ex neceßitate erit, & inſita ſubſtantiæ uenarum, quandoquidem ſit* ἀλλοι=

*ωτική, & potentia naturalis ſit, cuius non poßit externū eſſe principium, ut ipſemet fatetur Galenus. Duplex autem alteratrix facultas eſt in uenis, ut etiam in uentriculo. Vna, qua alterando humores ſemetipſas nutriant, aßimilando ſuæ ſubſtantiæ nutrimentum. Altera, qua poßint ex chylo quem ad ſe trahunt, facere alterando ſanguinem, qua actione, & paßione, non fit quædam σύμφυσις (ut ſi nutrimentum aßimilatur nutrito) ſed propter contactum immediatum Agentis, & patientis materiæ, ex neceßitate oboritur Actio, & paßio. Quoniam, ut Galenus ipſe fatetur, ἀδύνατον εἰς ταυτὸν ἀλλήλοις ἰόντα δύο σώματα μὴ δρᾷν, καὶ πάσχειν εἰς ἄλληλα. Nulla enim alia ratio & cauſa eſt actionis & paßionis, apud Phyſicos, quàm contactus quo utriusq; completur potentia, nempe τοῦ ποιητικοῦ, καὶ τοῦ παθητικοῦ σώματος. Tantum uerò abeſt ut chylus carnis Iocinoris contactu, poßit in ſanguinem mutari, ut etiam ſanguis ipſe contagione hac carnis ipſius corrumpatur, uel concreſcendo in grumum uel Phlegmonem in carne ipſius generando, de quo in ſuperioribus etiam dictum fuit. At contagione ſola uenarum, ſanguis conſeruatur ſaluus & integer, & in earundem quoq; receptaculo, ut officina quadam, conuertitur etiam chylus in ſanguinem. Axioma autem illud Galeni falſißimum eſt: quando inquit, Πᾶσι τοῖς ὑπό τινος ἀλλοιουμένοις, εἰς τὴν τῶν ἀλλοιούντων ἰδέαν ἡ μεταβολὴ γίγνεται. Nam ut id uerum ſit in ὁμοειδέσι efficientibus, falſißimum tamen id eſt in efficientibus aliquid κατ᾽ ἐντελέχειαν. Talia ſunt Galeni poſtulata & lemmata, ſed qualia concluſa, falſa enim non niſi falſis probari poſſunt, ut docent nos Analytica. Alterum eſt argumentum Galeni, nempe quia Hepar ſit principium primarum, & ſecundarum uenarum, quarum*

quarum illæ radicum habeant inſtar, hæ uerò caudicis, ob id ipſum Hepar ut Medium omnium Venarum, ratione δυνάμεως, gubernationem & διοίκησιν ſibi uendicare, ut ab ipſo ſanguinis generationem habere dicantur. Quòd caro Iocinoris, non ſit cauſa generationis uenarum paulo ante probauimus, & quód ſecundarum uenarum, origo potius cordi quàm Hepati ſit adſcribenda, ſecundum Ariſtotelem, teſtatur Veſalius libro: 3. cap. 6. ſuæ Anatomiæ, in quo plurima Galeni placita de uenarum natura & ortu non conſentanea, refelluntur, quæ breuitatis ſtudioſus commemorare nolo in præſentia. Qui patrocinantur Galeno deroganti uenis ſanguificam facultatem, conſiderent quàm illud etiam inconſtanter ab ipſo dicatur, ut ſi modò defendat omnes uenas terminari ad Hepar, idem fateatur, quaſdam meſenterij uenas eſſe nutrices ipſius Inteſtini, quæ cum reliquis tamen uenis nullũ habeant coniugium terminatis ad ſimam partem Iocinoris, ad hunc modum ſcribente ipſo libro 4. de uſu partium. Primum enim toti meſenterio uenas natura fecit proprias, ipſi deſtinatas ad inteſtinorum nutritionem, non terminatas ad Hepar, ſicut enim & Herophilus dicebat, ad glanduloſa quædam corpora hæ finiunt uenæ, quum cæteræ omnes uerſus portas referantur. Quæro, quomodo in his, aut ſanguis eſſe poßit, aut quomodo ex chylo ſanguinẽ facere queant, cum hepate nullum habentes connexum? Omitto hæc, & argumentum ipſius Galeni quale ſit, perpendamus, quando ſcribit ſic, Hepar, ut medium, inter primas, & ſecundas uenas, principium uenarum eſſe, & ratione γενέσεως, & ratione διοικήσεως, qua facultas ſanguifica tranſcribenda ſit Iocinori, & non uenis ipſis. In multis Medium (quo extrema iunguntur) principij rationem

Gale: lib. 6. de pla. Hippo. & Plat.

*nem obtinet; reſpectu extremorum, ſed non in omnibus.* Vt *in quantitate medium, nec ratione γενέσεως, nec reſpectu διοικήσεως principij uim habebit.* Neq; *etiam ſi loci reſpectu fuerit, medium.* Quo *argumento* Ariſtot. *cordi διοίκησιν uniuerſi corporis* Animalium *ἐναίμων, & præterea etiam principij γενέσεως uenarum, &* Arteriarum, *& ſanguificationis adſcripſit.* Eodem *argumento probaretur etiam terra (quia in medio eſt) principaliſſima eſſe.* Tametſi *autem* Medium, *in quibuſdam rationem habeat principij (ut in ſyllogiſmo eſt, τὸ καθόλου medium, & in reminiſcendo (quando prioris memoria cum poſterioris connectitur medio quodam) non ob id ſequitur, ut omne, loti gratia medium, ſit etiam φύσει, id eſt, principatu quodam medium.* Phyſicis *enim, principiũ ſignificat, ut generationis, uel διοικήσεως, ratione ἐπιῤῥύτου δυνάμεως, & non ἐμφύτου, qualem nos adſcribimus uenis & arterijs τοῖς φύσεως πρώτοις ὀργάνοις.* Logicis *his & ἀλλοτρίοις rationibus decepti ſunt* Ariſtoteles *&* Galenus, *ut aliâs in phyſicis decipiuntur etiam, qui cauſam ſine qua non, principalem cauſam eſſe arbitrantur.* Principium *eſt logicum ſi quis opinetur,* Omnium *multorum, è quib. una quædam ſubſtantia conſtituatur, principium unũ eſſe penes quod διοίκησις ſit totius.* Axioma *illud fefellit* Ariſtotelem *ut* Inſtrumento *cordis principatum omnium potentiarum* Animæ *adſcriberet.* Axioma *eſt apud* Ariſtot. *Ἀρχὴν δεῖ εἶναι μίαν, ὅπου ἐνδέχεται.* Deinde, *quòd cor ſit, & quòd ἐνδεχόμενον ſit ipſum unum, & ſolum eſſe principium, poſitu* Medij *loci probat, quia locus etiam ille ſit unus, cum duntaxat unum ſit medium, & in eo ipſo cor eſſe collocatum; εὐφυέστατος ἢ τῶν τόπων, ὁ μέσος.*

*Ἐν γὰρ τὸ μέσον, καὶ ἐπὶ πᾶν ἐφικτὸν ὁμοίως, ἢ παραπλησίως, fretus poſtea hoc argumento, negat* Hepar *eſſe ἀρχοειδὲς* Ariſtot. Sed Galenus, *probat* Hepar *eſſe ἀρχοειδὲς, quia ſit in medio loco inter primas, & ſecundas uenas, quarum ipſum* Hepar *ſit principium γενέσεως & διοικήσεως ſanguificationis, reſpectu.* Analogia *ſtirpium demonſtrare uult ſuum propoſitum.* Nam *plaſticam facultatem ſeminis in arboribus producere infernam partem, & ſupernam arboris, quarum inferior ſit, quæ radicum fibris diuidua ſit, ut grandiores ſemper in tenuiores terminentur, utq; dum ad exiliſſimas radicum fibras ſit peruentum.* A *radicis capite ſimul etiam caudicem produci, qui & ipſe ab initio ortus ſui ſit craſſiſſimus, & paulatim magnitudine decreſcens in ramos ipſo minores, & rami in ſurculos terminentur, qui folijs & fructibus aut floribus ornentur.* Poſtremas *partes à præcedentibus maioribus uim & facultatem uegetationis accipere.* Infimam *autem partem caudicis principij rationem habere, ut ſuperiora uegetentur omnia.* Radicum *autem fibras à principio radicum facultates ad ſe trahēdi ſuccum nutriturum accipere, qua & ſe nutrire, & reſiduum ſuperiori caudici demandare ſoleant.* Quod *hactenus expoſui,* Galenus *tali* Axiomate *ſenſum ſuum conplexus eſt: Δῆλον δὴ ὅτι κἂν τοῖς φυτοῖς μὲν ἀρχὴ καὶ γενέσεως καὶ διοικήσεως τὰ μείζω σώματα τῶν μικροτέρων ὑπάρχει, οὐχ ἥκιστα κἂν τοῖς ζώοις.* Non *ergo, inquit, à maioribus propagatæ partes minores, à ſeipſis habent, ut alterare ſuccum nutriturum queant, ſed eam accipiunt à principio ſuo quod magnitudine craſſiſſimū eſt, à quo propagantur etiam.* Nam *nemo eſt qui radicum multas & exiles fibras pro principio numeret,*

meret, eius capitis unius à quo propagantur, & quod prima portio totius radicis eſſe dicitur. Ita non eſt etiã qui meſenterij uenas, principij rationẽ habere dicat. reſpectu uenarũ portæ, ſed uenam portæ eſſe principium, cuius principium ſit Hepar, qua ratione principium etiam ſit Hepar uenarum meſenterij, à quo habeant etiam facultatem ſuam. Illa omnia ſunt μακρὸσ τȣ̃ Σιμωνίδȣ λόγοσ, ut quibus nihil conſentaneum probetur quum ſint logica & cõiuncta argumenta. Quæſo te Galene, quomodo uena portæ principium erit ut grandior uena, minorum meſenterij & plurimarum uenarum, quum Plaſtica facultate omnes ſimul generentur & producantur, & non prius uena portæ, poſterius in meſenterio uenæ producantur? Aut Hepar quomodo principium erit uenæ portæ, quum, ut probatum eſt, παρέγχυμα carnis Iocinoris poſterior ſit γενέσει his omnibus uenis? Idem accidit, ſi Plaſtica facultate producantur radices, ſimul enim radix tota cum ſuis fibris producitur, & grandior pars non eſt cauſa aut principium generationis fibrarum progreſſu, licet tempore & adnaſcantur fibris aliæ fibræ, ut ramis, etiam alij rami adnaſcuntur, cum Anima ſtirpium ſemper coniuncta cum plaſtica facultate ſit qua nouæ ſubinde partes generantur. Ergo Plaſtica facultas integras radices, & priores ſimul cum poſterioribus partibus formabit, & ut unã ſubſtantiam, ita unam eandemq; facultatem attrahendi ſuccum è terra, & eundem alterandi habebunt, nec poſteriores partes prioribus, nec exiliores, maioribus, uim ſuã & δύναμιν transſcribent, cùm in omnibus una ſit ἔμφυτοσ & non ἐπίῤῥυτοσ facultas. Nec ſi à toto minor pars reſecta, ut ſi fibræ quædam radicis amputatæ uigorem ſuum

emit-

*amittunt, ob id ab altera & grandiore parte uigorum & δύναμιν alterandi ſuccum accipiunt. Nam ut caro etiam ſi ſeparata à reliquo corpore, amittit σαρκοποιητικὴν ſuam δύναμιν, ob id tamen non ſequitur ut σαρκοποιητικὴ non ſit ἔμφυτος δύναμις ipſius carnis, tametſi eam præſtare nō poßit ſine accretione, & συνεχείᾳ qua corpori toti eſt adnata quædam pars, à ſe enim caro & non à corpore habet ut ex nutrimento faciat carnem, quamuis corpus totum ſit, ſine quo nō poßit ex ſanguine generare carnem. Plærumq; autem (ut ſupra eſt dictum) decipimur, ut cauſam, ſine qua non, principalem cauſam exiſtimemus eſſe. Quare non ſequitur, ſi meſaræum, ſanguinem generare non poßit, niſi quoad eſt cum uena portæ & Iocinore coniunctum & continuatum corpus, ut ob id meſeraicæ à grandioribus uenis, tanquam principijs influentem hanc accipiant facultatem. Nam quod per ſe habet quidpiam, id neceſſe non eſt ut ab alio accipiat, preſertim cum ratione ſubſtantiæ nullum ſit inter uenas maiores & minores diſcrimen, quare nec potentiarum diſcrimen erit. Et ut poſtremæ partes cauſæ & principia non ſunt primarũ grandiorum partium, neq; γενέσεως, neq; διοικήσεως, ita quoq; primæ, poſtremarum non erunt, ſed ſimilibus naturis preditis partibus utriſq; ſimiles quoq; δυνάμεις ποιητικαὶ ſunt inſitæ. caro autem Iocinoris, & uenæ ipſæ (quæ non propagantur tamen è Hepate, pro eo ut uidetur Galeno. ſed ut ſcribit Ariſtot. in ipſum Hepar inſeruntur, & caua uena item non niſi ramis quibuſdam duobus cum Hepate communicet ipſi inſertis, & caudex cauæ ſit extra Hepar, ut Veſalio etiam, contra Galenum ſentienti non uidetur ex Hepate naſci caua uena) cùm non ſint eiuſdem Naturæ*

*turæ & ſubſtantiæ ( differunt enim materia, & forma) quoniam caro ipſa per ſe Hepatis non eſt ὑποδοχὴ ſanguinis, ſed uena eſt per ſe ὑποδοχὴ ſanguinis. Quare ſequitur, ut ἰδιότητες etiam δυνάμεων eædem non ſint in utriſq; etiam, id ipſum affirmante Galeno quando ſcribit libro 6. de placitis Hippo : & Platonis αἱ τῶν οὐσιῶν ἰδιότητες, οἰκείας ἑαυταῖς καὶ τὰς τῶν δυνάμεων ἰδιότητας ἔχουσι. Nec eſt quòd dicat aliquis (ut Ariſtoteles ipſe) carnem cordis, eſſe ὑποδοχὴν ſanguinis. Nam quòd non ſit, manifeſtum eſt, ſiquidem internæ cordis cauitates ueſtitæ ſint uenoſis quibuſdam membranis, & caro cordis, ut aliæ carnes, ſanguine non niſi δροσοειδῶς in ipſis diſperſo nutriantur, multo autem ſuffuſo , phlegmonibus afficiantur. Propria autem carnis cordis δύναμις eſt ſeu πάθος, ut pulſu perpetuo uibretur, quæ pulſatio tamen nequaquam ἐμφύτως inſit Arteriæ. Sunt autem quædam δυνάμεις quæ cum ſuis proprijs ſubſtantijs ἐμφύτως inſint, communicari nihilominus alij per Influentiam poßint. Vt, lux, in pellucido ſuum lumen diffundit, & Animalis ſpiritus qualitatis propria cerebri, ſe diffundit in Neruis, & uirtus uitalis cordis ſe diffundit in Arterias. Has δυνάμεις ἐπιῤῥύτους appellamus. Communicatorum porrò Accidentium duplex eſt Genus. Quædam enim, ut Energiæ, communicantur, ut ſunt, quæ ſine motu & alttratione ſubiectis inſunt , ut Animalis eſt & uitalis facultas, alia ſunt, quæ, ut πάθη quedam communicantur, ut ſi dicam ſanguinem φύσει eſſe frigidum, ſed τῷ πάθει, eſſe calidum, ut calor ſit & dicatur quoddam ἐπίκτητον & non ἐπίῤῥυτον reſpectu eius à quo calorem accipit. Vis autem pulſatilis ut Energeia cordis, non ἐπίκτητον ſed ἐπίῤῥυτον quiddam*

*eſſe dicitur reſpectu cordis à quo accipit iſtam energiam.* At uerò Galenus tuetur ſe autoritate Hippocratis, qui dicat *uenas ῥιζοῦσθαι, id eſt, radices agere in Hepate, & quòd ut radices, attrahant ſuccum nutriturum ex terra, ſic Hepar ; ſuccum ex meſaræo attrahat quem eundem poſteà* Hepar *propria ui ſua ad ſe pertractum mutet in ſanguinem.* Vnus *eſt quaſi caudex uenæ portæ, & propter multifidas & multipartitas fibras duplicem dicitur habere ῥίζωσιν, unam, qua inſeritur in ſima* locinoris, *alteram, qua per meſaræum diſperſis fibris chylum ex uentriculo & inteſtinis exugit.* In *uenis attractrix, & expultrix facultas eſt.* Attrahunt *quæ ſibi neceſſaria ſunt ad nutritionem, & quæ toti corpori nutriendo ſunt ſuffectura.* Repellunt *à ſe reſidua ; quæ nimirum alijs quoq; partibus ſuffectura ſunt ad nutritionem, quod ut ſuperfluum ac redundans Meſaræum à ſe propellit, id* Hepar *ut ſibi utile ad ſe attrahit, quod deinde redundat in* Hepate, *id protenditur in cauam uenam , & ab eadem etiam attrahitur, traduntq; hoc modo priores & poſteriores partes operas mutuas, uſque dū totius corporis & omniū partiū nutritio perficiatur.* ἔμφυτον, *& non* ἐπίῤῥυτον *eſſe* δύναμιν Attractricem, *ipſemet fatetur* Galenus, *quam tamen hoc argumento derogare uideatur uenis ualdè inconſideratè, quando dicit* Hepar *cauſam eſſe attractionis, quemadmodum etiam cauſa ſit ſanguificationis.* Ergo Meſaræi *uenæ inſtar habent radicum , quæ ut ſuccum ſeipſis attrahunt ex terra, & ſeipſis illum alterant, ita quoq; uenæ illæ ſeipſis ex inteſtinis & uentriculo ſugunt, & ſeipſis mutant illum in ſanguinem ; ut hac ratione rami portæ radicum inſtar non habeant cùm non ratione generationis, ſed per-*

*ſectionis ſanguinis rami iſti ſubeant in carnem Iocinoris, ut ex radicibus ſucci penetrant in caudicem & ramos, quibus nō generantur, ſed perficiuntur & elaborantur. Quēadmodū autem ſuccus uitis non prius mutari poteſt in uini naturam quàm ex racemo penetrarit in uuas, in quibus ſolis in eſt οἰνοποιητικὴ δύναμις, ita ex chylo nequit permutatio fieri in ſanguinem, niſi tractu uenarum ſubeat in uenas chylus quibus unicè uis hæc ineſt ut poßint efficere ſanguinem, ut non ſit neceſſe prius chylum in fluere in uenas hepatis, ut illic generetur ſanguinis ſubſtantia, & denuò per eaſdem refluere ut nutrimento ſint partibus his, quæ à meſaræo uenas nutritias accipiunt, quo ſanè modo Galenus contra Ariſtotelem diſputans, negat humores ἀμεγάτους profluos, & refluos eſſe. Similis reprehenſio in ipſum quoq; cadit: ſi non niſi in hepate ſanguinem fieri è chylo opinatur. Quàm autem Galenus ipſe ſibi inconſentanea ſcribat de ortu uenæ cauæ, monſtratum ſatis ſuperque eſt à Veſalio, quæ, ne moleſtus ſim Lectori, omittenda eſſe cenſui. tametſi de ſanguificatione non diſcrepet Veſalij à Galeni ſententia. Eſt præterea aliud quoddam Galeni argumentum, quo principatum ſanguificationis Hepati adſcribit, quia uidelicet omnes ſcriptores, qui de ſanguinis effectione aliquid ſcriptum reliquerint, initium fecerint doctrinæ à Iocinoris natura, ut ſine qua uenarum uis & ſubſtantia non poßit explicari (ut Neruorum, ſine cerebro nō poßit) quandoquidem omnes continuæ & cohærentes ſint uenæ, excipiente continuatas illas, Hepate, parte ſcilicet ſima meſaræi omnes, & parte gibba cauæ omnes cum ipſius caudice continuatas. Quæ cauſa ſit coniugij omniū uenarum in Hepate, ſupra non ſemel expoſuimus. Non*

*enim probatur illud, quòd ipſum Hepar ſcilicet ſit officina generationis ſanguinis, ſed ut fiat eo elaboratior ſanguis, & ut è uenis primis, in ſecundas eſſet ſanguinis commoda tranſitio, & ut commodius excrementum bilioſum ipſius expurgaretur, ueſicula bilis ipſi commodè adhæreſcente Hepatis ſimæ parti. Sed quid reſpondebit quæſo Galenus, ſi quarto libro de uſu partium ſcribere ipſum arguamus, quòd uidelicet non omnes meſaræi uenæ connexæ ſint cum his quæ ad uenam portæ terminentur?* At hoc loco omnes *συνεχεῖς & cõtinuatas eſſe ſcribit. Sed ut concedamus etiã omnes continuari uenas cum primis & ſecundis uenis quæ ingrediantur in iecur, ob id tamen non ſequitur, ut principium uenarum ſit Hepar, eo modo quo eſt cerebrum neruorum, aut Arteriarum, cor, ut ἐπίρρυτον quandam δύναμιν accipiant à carne Iocinoris, non enim ut faciat, ſed ut perficiat ſanguinem Iecur connectit utrumq; genus uenarum.* Deinde caro Hepatis *& uenæ ipſi inſertæ non ſunt aliqud unum συμφύσει, quòd nimirum, propter tactum, actio, & paſsio inter eas intercedat; alterando enim perficit ſanguinem* Hepar *intercedentibus uenis, quæ alteratio locum non habet ἐν τοῖς συμφυομένοις, ut in cerebro, reſpectu neruorum, & in corde, reſpectu* Arteriarum *quoniam ut Ariſto: inquit libro θ. Metaphy: ᾗ συμπέφυκεν, οὐδὲν πάσχει αὐτὸ ὑφ' αὐτοῦ. quibus ad hunc modum ſe habentibus, neceſſe erit* Hepar, *ἀρχὴν τῶν φλεβῶν οὔτε γενέσεως, οὔτε διοικήσεως ὑπάρχειν ἀλλὰ μόνον τῆς τελειώσεως, quod in præſentia contra* Galenum *nobis demonſtrandum erat.* Eſt ergo Hepar *quoq; ex cauſis, ſine quibus non poſſunt uenæ ſuum præſtare officium, & ſine quo non διδασκαλίᾳ etiam ſanguificationis traditur, ob id tamen non*

*ſequitur, ut ſanguificationis* Hepar *ſit princeps cauſa, qualem nos cauſam ſubſtantiam ipſam uenarum eſſe dicimus, & ipſarum ſubſtantiæ inſitam* δύναμιν. *Vltimum eſt Galeni argumentum, quo cenſet fieri non poſſe, ut albicantibus uenis rubeus & ſanguineus humor generetur. quod cùm ſupra à me ſit confutatum argumentum opus non eſt ut denuò à me refellatur. Poſt argumenta hæc Epilogum hunc ſubijcit Galenus, rationibus ſuis conſentaneũ falſum, falſis* εἰ τὴν τῆς πρώτης γενέσεως ἀρχὴν τῶν φλεβῶν ζητεῖς, Ἧπαρ ἐστίν, εἰ τῆς κατὰ τὴν ὕλην διοικήσεως ᾗ τρέφεται τὸ σύμπαν σῶμα, καὶ δυνάμεως, οὐδ᾽ οὕτως ἄλλό τι σπλάγχνον εὑρήσεις ἐπιτηδειότατον, ἀρχὴν νομισθῆναι. *Si quæ præterea ſunt cognoſcenda ex Galeno ſunt, quoad .n. eius fieri potuit, breuiter commemoranda hæc omnia putaui, non ut confirmaretur, ſed ut refelleretur ipſius Galeni propoſitum, & falſitas argumentorum ipſius eſſet conſpicua, quæ tamen non dubito quin Sciolis, & ſemidoctis hominibus quibuſdam ſint diſplicitura, ut qui ueritatem autoritate, & non autoritatem ueritate ponderant. Ineruditi ſcilicet non ſunt intelligentes demonſtrationum, Analyticæq; artis ignari, quorum eſt tamen ſtudium, ut* φιλονείκως *propoſitum ſuum tueantur, nullo pudore, aut reſpectu ueritatis,* τὴν θέσιν φυλάττοντες *defendendo abſurda abſurdis argumentis. Qui uerò cum Galeno ſentientes dicunt* Hepar *principale ſanguificationis inſtrumentum eſſe, ijdem (ut Fernelius & Veſalius) anatomica experientia freti,* Splenem, *ut* ἀντίζυγον *Hepatis uiſcus (autore Ariſtotele) ipſum quoq; ſanguificam in ſe habere facultatem confitentur. Obſeruatum enim eſſe in mortuorum & cadauerum ſectionibus, calloſo, & planè inutili ad ſan-*

*guificationem exiſtente Hepate, Splenem, & magnitudine grandiorem, & colore temperamentoq; optimo prædi- tum fuiſſe conſpectum, ut affecto Hepate ipſe defunctus fuiſſe officio Hepatis in ſanguificando uideatur. Conſen- tanea hæc hypoteſi illorū nequaquā exiſtunt. Nam Hepatis caro ſi ſit qui poterit ſplen eſſe* αἱματοποιητικὸς *quū ſpecie carnes ſeu* παρεγχύματα *differant? quamobrem* δυνάμεις *etiam eædem nō erunt. & quæ propriè uni ineſt* δύναμις, *alteri nō poßit ineſſe, cum propria, ſint incommunicabilia. Deinde inutili exiſtente & inefficaci Hepate quomodo generabitur in uena portæ exiſtēs ſanguis, quem ad ſe trahat ſplen? Nā Hepati infirmo, nulla uis ſanguifica* ἐπίῤῥυτος *(ut hoc demus) in uena portæ ineſſe poterit. Hoc caſu igitur quomodo ſplen pertrahet ad ſe ſanguinē ex uena portæ, & non chylum potius? Quin etiam illud inconſentaneum eſt decretis Galeni, quòd eiſdem ductis uenarum ingrediantur imperfecti ſucci, & rurſus regurgitent, ut iis partes nutriantur à quibus chylum acceperūt uenæ, ut uentriculus, & inteſtina, & totum meſenterium: At reditum illum & regurgitationem negari manifeſtè à Galeno demonſtratum ſuperius fuit. Cohærent hæc omnia inter ſe (optime lector) perinde atque ſi quis lino linum connectat, aut arenam arenæ, ut prouerbio dicitur. Hypotheſeos autem huius falſitas in cauſa eſt ut conſentaneè nullæ ſint rationes, ſiquidem autore ipſo Galeno,* ὅπου δ᾽ αὖ ἐξ ἀρχῆς οὐδὲν ἢ πρῶτον κακῶς σαθρὰ συμπαγῇ, τίς μηχανὴ τῶν ἐπ᾽ αὐτῷ τι γενήσεσθαι μὴ σαθρόν; *His probatis & demonſtratis omnibus liquet carnem iocinoris, uenarum, neque* γενέσεως *neque* διοικήσεως *eſſe principium, neque etiam* αἱματοποιητικὴν, δύναμιν *eſſe* ἐπίῤῥυτον, *ſed* ἐμ-

φυτον, cùm ſit alteratrix contentorum intra ſe humorum. Et ut ſolus uentriculus generet ex alimentis, chylum, ita ſolum uenoſum genus è chylo poſſe generare ſanguinem confitendum. De quibus cùm ſatis ſuperq; ſit diſputatum, pauca quædam ſubijciam de Accidentibus uenarum, & ſanguinis, intra ipſas contenti. In partibus & organis corporum Animatorum, non tantum ſubſtantias ſeu naturas conſideramus, cuius propria πάθη ſunt potentiæ naturales, ſed in primis ad Medicam Artem pertinet, ut contempletur differentias temperamentorum, item habitus ſine quibus facultates illæ ſuas operationes non poſſunt exercere. Propter temperaturas & craſes ſuas uenæ dicuntur bonum aut uitioſum ſanguinem generare. Sed propter habitum, firma, aut imbecillis eſt earum operatio. Cauſa quidem duplex eſt uitioſi ſanguinis. Vna eſt, Intemperies uenarum, altera eſt, uitioſa qualitas alimentorum, utriſq; κακόχυμον efficitur corpus. Habitus ualidus uenoſi generis cognoſcitur plethora quæ dicitur ad uaſa, ſed infirmus, deprehenditur Plethora ad uires. propter craſin uitioſam, aliàs pituitoſus naſcitur ſanguis aut bilioſus, aut Melancholicus, aliàs διαφθοράν patitur, ut nutriendo corpori fiat inhabilis, ut ſi emendari non poßit corruptio ipſius, perinde ut uinum, quod degenerauit in acetum, non poteſt in integrum reſtitui. An craſes ſint mutabiles quæritur? Quòd ſint mutabiles manifeſtum eſt: quum ex bene temperato homine poßit fieri bilioſus, aut ex bilioſo poßit fieri Melancholicus, & ex bilioſo etiam Phlegmaticus, quas Επικτήτας φύσεις appellari à medicis conſtat. Quare & ſanguis mutabilis erit, & craſes uenarum, & in primis pertinentia ad diætam, ſunt uarijs modis mutabilia,

reſq;

*reſq; quæ uulgò appellantur, Non naturales ; quàm ſint mutabiles nemo ignorat. In humoribus morbi curabiles ſunt, ſi ſecundum naturam habentibus uenis , humorum cruditas poßit concoqui, quæ facultas, non tam ad temperiẽ, quam ad habitũ ſeu ἕξιν uenarũ eſt referenda. Galenus, crudorum humorum concoctionem in morbis, uenis adſcribit propterea quòd ſint ut στερεὰ, & σπερματικὰ πρῶτα μόρια ad alterandum efficacißima. Spoliat nihilominus abſurdißimè ea facultate, qua poßint ex chylo facere ſanguinem, eam Iocinori, non ὄντως στερεῷ μορίῳ exiſtenti attribuens facultatem. Sic autẽ ſcribit libro ſecundo, Commento 45. in lib. 1. Epide. Hipp. de ui & facultate uenarum* Διὰ γὰρ τῶν στερεῶν σωμάτων διατέταται φύσις, δύναμις ἐκείνων οὖσα, καὶ τὸ πέττεσθαι τοῖς χυμοῖς ὑπὸ τῶν στερεῶν ὑγιαινόντων γίνεται ὥς ὅταν γε καὶ αὐτὰ ταῦτα νοσεῖ, καθ' ἕξιν μὲν ἤδη τὸ νόσημα τοῦτο, καὶ κίνδυνον ἔσχατον ἐστὶν οἷς ἐπάγει. Θεραπευθῆναι δ' οὐ δύναται πρὶν αὐτὰ τὰ στερεὰ σώματα τὴν οἰκείαν ἀνακτήσασθαι δύναμιν. *Et in Methodo curandi ſcribit, præcipuè prouidendũ ut ſecundum naturam ſe habeant, quandoquidem ijs generari humores & ſpiritus oporteat, & eorundem quoq; uitia corrigi ſine his ſecũdum naturam habentibus nequeant. Et alibi ſcribit, non incurabiles eſſe hydropas uſq; dum uenæ becticam ſuam facultatem & à natura inſitam non amiſerint. Hydropi ſimilis eſt Diabetes (ut Aretæus eſt autor) nõnulli græci affectum hunc appellant ὕδρωπα εἰς ἀμίδα, eius cauſa eſt, colliquatio ſanguinis in ſeroſum humorem , uenarum autem intemperies ſecundarum, huius συντήξεως cauſa uidetur eſſe (quod ipſum declarat etiam curatio) quamuis uideatur pleriſq; huius morbi*

*cauſa eſſe* Renum *affectus, in qua ſententia ſit etiam* Galenus *in* 6. *libro de* Locis *affectis*. Veruntamen *quòd uenarũ intemperies ſit in cauſa, magis eſt conſentaneum, qua nimirum dyſcraſia ſanguis contentus ita corrumpatur ; ut acribus uel accidis rebus ſeroſum à* Lacte, *ſeu coagulo lactis, conſueuit ſeparari.* Quòd *autem tractus renum, ſeu affectus ( quem deſcribunt* Medici *) non ſit in cauſa ut in ſanguine ſit colliquatio hæc ſeroſi humoris maniſeſtißima hac coniectura deprehenditur, qua exploratum nobis eſt colliquationem hanc nonnunquam eſſe in ſanguine, ut tamen ſeroſum à renibus non attrahatur.* Nam *ſi per ſe cauſa eſſet colliquationis,* Renũ *talis affectus, qualem* Trallianus, *& alij deſcribunt, tum inſeparabile hoc, ab illo, ſymptoma eſſet, quoad uidelicet colliquatio, proprium* πάθος *eſſet iſtius perpetui tractus affectorum* Renum, *nec colliquatio hæc unquam in ſanguine ineſſet, ſi excretio etiam per urinam perpetua non eſſet.* At *colliquatio hæc poteſt eſſe, ut ſeroſum tamen renes non attrahant, ſed uel ſudoribus profluat, uel depulſum ex uenis ſecundis, in primas, ſeu meſeraicas in inteſtina, per aluum excernatur, uel retineatur intra corpus, & eo ſic extra uenas expulſo repentino hydrope corpus intumeſcat. His euidentißimum eſſe, affectum renum, non eſſe cauſam huius colliquationis, ſed colliquationẽ hanc interdũ, ſed nõ ſemper, in cauſa eſſe, ut perpetuo tractu renum, liquor ſeroſus uacuetur.* Renes *quidẽ trahunt ſeroſum ſanguinẽ, quo nutriantur etiã, & non ſimpliciter ſerum, quo nequeant nutriri, & quod ſerũ renes, tanquam ſibi inutile, tranſmittunt ad ueſicam. Igitur ſi accidat ſeroſam hanc colliquationem à renibus trahi, quod tamen cùm uacet admixtione ſanguinis ; non*

*mirum*

*mirum eſt, ſi eo non nutriantur renes, inſatiabilemq; talem tractum eſſe, & tanquam κυνορεξίαν quandam renum & quaſi appetitum renum, putemus, ut qui alias non ſaciantur, deſiderant ſemper cibum eſurientes. Ante aliquot annos uinitorem quendam noui perpetui ſudoris fluxu contabuiſſe, tametſi omnes ſpecies huius colliquationis infrequentes admodum ſint, ut non mirum ſit in conſideratione cauſæ ipſius, cæcutiuiſſe medicos. Quatuor ſymptomata Galenus lib. 3. de ſympt. cauſis, colliquationis huius recenſet, nempe fluxum diabeticum, fluxum Ventris, profluuium immoderati ſudoris, & quartum, repentinum Hydropem. Hydrops porrò Aſcites propter dyſcraſiam uenarum meſeraicarum præſertim generatur, quo fit ut cum difficilis ſit tranſitus ſanguinis ex primis in ſecundas uenas ſeroſus humor per oſcula uenarum meſeraicarū quibus nutritur omentum exudans ſpacium impleat, quod eſt intra ipſum & peritoneum, aut intra ipſum & inteſtina. Sic affectis uenis ſimul etiam Hepar dyſcraſia afficitur propter coniugium ſcilicet uenarum non quòd ipſum principium ſit uenarum, ut uulgò putatur. Quòd uenæ etiam inflammatione poſsint laborare, autor eſt Galenus, & ipſa quoq; ratio atteſtatur, ſiquidem omnia quæ nutriuntur Phlegmone poſsint affici, ut ipſa quoq; oſſa nõ ſint expertia iſtius πάθους. Vt ergo ſecundum naturam affectis uenis, bonum, ita contra naturam affectis, neceſſe eſt uitioſum ſanguinem generari, propter dyſcraſias ſcilicet uenarum, ut generatio ſimpliciter ſanguinis, ſubſtantiæ ipſarum ἐμφύτῳ δυνάμει adſcribatur, ut autem bonus ſit, uel uitioſus, ſanguis temperaturis, uenarum, Aliud enim eſt ſimpliciter ſanguis, & aliud bonus, aut prauus ſanguis*

*ut aliud eſt, ſimpliciter caro, & aliud melancholica caro, Vt ergo quod generat ex ſanguine, carnem ſanam, aut morbidam, id ipſum quoq; ex neceßitate facultatem hanc habet ut ſimpliciter generet carnem, qua ratione ſolam carneam ſubſtantiam σαρκοποιητικὴν appellamus, ita quoq; uenæ ſolæ αἱματοποιητικαὶ erunt, ut ſi ijs talis quidam, ſequitur ut ijſdem ſimpliciter etiam ſubſtantia ſanguinis ſit generabilis, quoniam ἰδιότης δυνάμεως alij nõ eſt communicabilis ſubſtantiæ. Sed de hoc ſatis ſuperq; in ſuperioribus dictum. Videtur tamen quòd in quibusdam uenis ſit ἐπίῤῥυτος δύναμις & qua ad ſe attrahãt ſuccum nutriturum, & qua ipſum quoq; alterent, ut ſplenis uenæ, quibus ſplen craſſum & melancholicum ſanguinem, ut renum quibus ſeroſum ſanguinem. Bilioſus autem in ueſiculam ſanguis non trahitur, ſed mera trahitur bilis, nam diuerſis uenis ſibi inſertis nutritur etiam Veſicula bilis. Conſentaneum ergo eſt, quòd etiam caro iocinoris facultatem ſuæ δυνάμεως diffundat in uenas meſeraicas, qua trahat, & mutet chylum in ſanguineum humorem. Tractionis facultas omnino uenis inſita eſt, & non ἐπίῤῥυτος, quandoquidem ſit Naturalis facultas, ut etiam eſt retentrix, & expulſoria. Sed quòd attrahunt craſſum ſanguinem, ſplenis, & ſeroſum ſanguinem, renum emulgentes uenæ id à Viſceris qualitate cum quo coniugio naturali ſunt iunctæ, obtinent. Vt enim ſpleni, ita quoq; uenis ipſius ingeneratus eſt appetitus naturalis craßi ſanguinis. Et non ſolum Renibus, ſed etiam emulgentibus uenis hæc facultas inſita eſt, ut ſeparent ſeroſum ſanguinem & eundem ad ſe pertrahant. Et Veſiculæ bilis, eiuſdemq; propagatis in carnem Iocinoris ramis una eademq; uis inſita eſt*

*& ſe*

*& ſeparandi, & ad ſe alliciendi humorem bilioſum. Naturam hanc illis ingenerauit* Plaſtica *facultas ſeminis, quandoquidem ne* Galenus *quidem* ἐπιῤῥύτους *tales facultates eſſe dicat.* Diuerſis *ergo uenis ſeparantur & attrahũtur diſcrepantes humores è ſanguine, uiſceribus earundem differentibus, inſitis his facultatibus, & non influentibus, efficacibus ut ſi in uno caudice ſurculi inſerantur diuerſos fructus generantes, ut ſi uno producantur huius, altero, alterius ſpeciei pira, uel poma ſuccreſcant, uterq; ſurculus ſua ui inſita ſuccum communem à caudice influentem alterabit, eoq; cùm nutrietur, tum quoque folia fructuſq; alterando humorem producet, ut omnes illæ facultates ſint* Naturales, ἐπίῤῥυτος *autem planè nulla exiſtat.* At *uerò quæ ſint* ἐπίῤῥυτοι δυνάμεις *ſupra expoſuimus, & præter cerebri & cordis* Galenus *nullas alias agnoſcit, tametſi in fine primi libri de locis affectis, dumtaxat in neruos influere qualitatẽ* Animalis *ſpiritus ſcribat, cordis influentiæ oblitus.* At *teſticulis etiam adſcribit influentiam maſculini caloris in corpus uniuerſum, ut quib. exectis, totum effœminetur.* At *qui hoc perinde dicitur atq; ſi corde calido exiſtente dicat quis totum calidius eſſe corpus, quo refrigerato neceſſe ſit totum corpus tabe confici: propterea quòd cor ſit* ἑστία τοῦ ἐμφύτου θερμοῦ. De *facultatibus habentibus* ποιητικὴν δύναμιν, *hactenus dictũ ſatis ſuperq;, & his rationibus argumentiſq; ſatis abunde demonſtratum eſſe opinor, ipſas per ſe uenas naturali facultate præditas, uim & efficatiam in ſe habere ut generẽt ſanguinem, & neq; ipſam per ſe carnem* Iocinoris *ſanguinem generare, neq; etiam facultate quadem* ἐπιῤῥύτῳ *in uenas efficaces eas efficere, ut ob id* αἱματοποίησις Hepati *ſit nequaquam adſcribenda.*

FINIS